



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

VITA SANCTI GREGORII THAVMATVRGI,
ID EST, MIRABILIVM OPERVM EFFECTORIS, QVI

*fuit Episcopus Neocæsareæ, per D. Gregorium Episcopum Nyssenum scri-
pta, Gentiano Herueto Gallo, viro doctissimo interprete.*

Capitula ad marginem adiecimus.



VIVS, quæ in præsentia habetur, orationis, & vestri con-
uentus vnus idemque est scopus & insitutum. Magnus
enim Gregorius, & vobis causa fuit vt conueniretis, &
mihi de eo propositum est dicere. Ego quidem existimo
eiusdem esse facultatis, se ex virtute præclare & rectè ge-
rere, & sermone, quæ sunt pulchra & honesta, referre.
Quamobrem idem fuerit inuocandum auxilium, per
quod ille in vita rectè virtutem exercuit. Id autem est, vt
ego quidè iudico, gratia sancti spiritus, quæ & ad vitam,
& ad dicendi facultatem ijs vires præbet, eosque confir-
mat, qui in vtroque studium posuere. Quoniam ergò præ-
clara illa & insignis vita, sancti spiritus virtute rectè gesta est, orandum est, vt ad ora-
tionem tantum detur auxilium, quantum illi affuit in vita: vt rerum gestarum digni-
tas laudem minimè antecellat: sed talis ostendatur præsentibus in ea, quæ fit de eo,
commemoratione, qualis in ipsis cernebatur factis ijs, qui erant illo tempore. Atque
si inutile quidem esset meminisse eorum, qui virtute præstant, & ijs qui audiunt, ad id
quod est bonum, nullus rediret fructus, esset fortasè superuacaneum & inutile, nul-
lius commodi gratia accedere ad laudationem, cum & ipse narret temerè, & frustra
auribus exhibeat molestiam. Cum autem, si ea, quam par est ad esse, adfuerit elegan-
tia & gratia orationis, erit commune lumen eorum, qui audiunt, non secus atque fax
ijs, qui in mari nauigant, ad seipsam dirigens eos, qui per mare errant in tenebris, ex-
istimo opus esse vtrisque equali studio, & vobis ad audiendum, & mihi ad dicendum.
Clarum est enim, in eius vitam, rectè & ex virtute gestam, facis instar per recordatio-
nem nostras animas illuminatè, futuram esse viam ad id, quod bonum est & hone-
stum & ei qui narrat, & eis qui audiunt. Natura enim quodammodò insitum est ho-
minibus, vt sint apti & accommodati ad omne, quod est honestum & laudabile, & id
possidere desiderant.

Atque eorum quidem, quæ sunt dicenda, argumentum est eiusmodi, quod
quidem mihi audenti suscipere nulla ex parte imminet periculum, siue se ad rerum
gestarum magnitudinem extollere potuerit oratio, siue non. In vtroque enim ho-
rum par erit laus ei, qui laudatur. Nam si res quidem gestas affecuta fuerit oratio,
earum admiratione aures omnino obstupescunt. Sin autem ea à tergo longè reli-
cta fuerit, sic quoque eius qui laudatur, gloria illustratur. Est enim maxima laus ho-
minis, si ostensum fuerit eum esse talem, vt omnes omnium laudes superet. Nemo
autem ex ijs, qui sunt diuina instituti sapientia, quærat pro more externo, vt qui spi-
ritalibus celebratur laudibus, artificiosa encomiorum laudetur ratione. Non est
enim nobis & alijs simile de eo, quod bonum & honestum est, iudicium. Neque eaf-
dem de iisdem inuenerit aliquis opiniones apud eos, qui in mundo viuunt, & eos,
qui mundum superarunt. Illis enim videntur magna & digna, in quæ studium con-
feratur, diuitiæ & gloria, & mundanæ potestates, & fabulæ, quæ patriæ suæ tradunt
originem, & quæ ijs, qui sapiunt, fugiendæ sunt narrationes, trophæa & prælia, &
mala, quæ ex bellis proueniunt. Nostra autem oratione vna honorata est patria, pa-
radisus, quæ fuit prima sedes hominum generis. Vna est ciuitas, quæ est cælestis, &
per viuos est constructa lapides, cuius artifex & opifex est Deus. Vna est generis cla-
ritas, quæ nobis cum Deo intercedit necessitudo & affinitas, quæ non casu alicui
euenit, conuenienter ei, quæ in mundo est, cognationi, quæ fluens per hanc casus
consequentiam, sæpè fertur etiam ad improbos: sed quæ non aliter parari potest, nisi
libero ac voluntario animi instituto. Quotquot enim, inquit, cum acceperunt, dedit

Tulij 3.
secundum
Martyrolo-
gia. Rom.
Breuiarium
& Græcorū
Menologiū
habet eum
in Nouēbri.
Cap. 1.

Aliter mun-
do, aliter
Deo dediti,
de rebus iu-
dicant.

Hebr. 11.

Iohan. 1.

- Cap. 1. eis potestatem, ut filij Dei fierent. Hac autem nobilitate quidnam fuerit præclarior?
Sunt alijs quidem omnibus patria fabulæ & figmenta, & dæmonum fraudes admixtæ fabulosis narrationibus. Patria autem nostra nullis indiget narratoribus. Nam qui cælum adspexerit, & eam quæ est in ipso pulchritudinem, & creatam omnem naturam mentis acie considerauerit, quæcunque potuerit miracula in eo comprehendere, ea inueniet nostræ patriæ esse narrationes: immò verò nō patriæ, sed potiùs coloniarum, in quam ex vita excelssiore amandati, quænam fuerit ciuitas, ex qua illa deducta est, quænam illius pulchritudo, quales in ea regia, quæ beatitudo eorum, qui illam sortiti sunt habitationem. Si enim quæ in rebus creatis cernuntur, sunt eiusmodi, ut orationem superent: quid existimare oportet id, quod eas superat, quod est eiusmodi, ut nec possit oculis apprehendi, nec aure capi, neque mente conijci? His de causis à spiritali commendatione eorum, qui laudantur, secerit inferiores nugas lex diuina encomiorum, turpe esse iudicans, ut qui ex ijs, quæ sunt eiusmodi, sunt cogniti, de ijs gloriantur, quæ sunt preciosa in terris. Quocirca mundanus quidem vir quispiam, ad terrenam respiciens beatitudinem, ex ijs, quæ sunt eiusmodi, laudem colligat hominibus, nempe, si alicui obrigerit patria fertilis pecoribus: si mare propinquum per se suppeditat materiam ijs, qui laborant in gluie: si gemmarum frequentes inter se confertæ posituræ structuras exornant. Ei autem, qui ad vitam adspicit supernam, pulchritudo quidem est animæ puritas: diuitiæ autem, nil possidere: patria autem, virtus: ciuitas verò, ipsa Dei regia. Quo fit, ut in rebus terrenis gloriam consecrari, pro probro sit habiturus. Idcirco nos quoque his relictis, neque patriam adijciemus laudibus Magni Gregorij, neque assumemus Maiores, ut ferant auxilium illius encomijs, cum sciamus nullam esse veram laudem, quæ non sit propria eorum, qui laudantur. Proprium autem dicimus, quod omnino manet in perpetuum eiusmodi, ut non possit auferri.
1. Cor. 2. Quoniam ergò separati ab omnibus, diuitijs, claritate generis, gloria, delicijs, cognatis & amicis, ab ea, quæ est ex vitio vel virtute, affectione manemus inseparabiles, id solum esse existimandum beatum iudicamus, quod ex virtute geritur. Neque verò existimet aliquis, me, quoniam nihil habeam præclarum, quod possim narrare de patria, vel maioribus Gregorij, præ me ferendo hæc contemnere, dedecus latenter effugere. Quis enim nescit eximium Ponti cognomen, quod est genti impostum ab hominibus, quod testatur virtutem eorum, qui ab initio eum locum sortiti sunt? solus enim ex vniuerso mari & vniuersa terra, Pontus Euxinus nominatur, siue in eos, qui illic versantur, hospites ipso nomine illorum testante humanitatem, siue etiam quòd talis est locus, ut non solum incolis & indigenis, sed ijs etiam, qui ad ipsum vndequaquæ veniunt, abundè suppeditet, quæ sunt ad victum necessaria. Talis enim est natura regionis, ut sit fertilissima omnium, quæ vsui sunt ad victum, & nullo careat ex ijs bonis, quæ sunt apud alios, ut potè quòd mare efficiat, ut quæcunque sunt apud alios, sint eorum propria. Cum autem sit tota gens eiusmodi, ut quancunque quis eius partem per se considerauerit, existimet eam esse potiorem cæteris, nihilo secius communi gentis iudicio, quæ circuncircà habitatur, est aliarum veluti quidam vertex ciuitas Magni Gregorij, quam quidam insignis Imperator ex ijs, qui Romanorum obtinebant imperium, Cæsar nomine, amore loci captus & desiderio, voluit ut ciuitas suo nomine vocaretur Neocæsarea. Sed hæc nihil faciunt ad nostrum institutum, ut per hæc existimemus demonstrare præclariorem illum Magnum inter sanctos Gregorium, si regio abundet fructibus, si ciuitas est magnificis ornata ædificijs, si vicino mari vndequaquæ quicquid videtur, affatim importetur. Sed nec eius Maiorum, qui ortum in carne præcesserunt, mentionem faciam in oratione, diuitias & honores, mundanosque, eorum splendores referens. Quid enim hæc ad laudem contulerint, sepulcrum, columnæ & inscriptiones, & mortuæ narrationes apud eum, qui se supra mundum vniuersum extulerit? Alioqui autem nec fieri potest, ut illos ad eius laudis deducamus societatem, quorum is abnegauit cognationem eius, quæ est in anima, affinitatis. Illi enim infatuati fuerant in errore idolorum. Hic autem respiciens ad veritatem, supernæ cognationi seipsum inseruit per fidem. Sed quemadmodum quidem, aut à quibus natus sit, aut quamnam ab initio habitârît ciuitatem, ut quæ ad propositam narrationem nihil nobis conferat, prætermittemus. Eius autem laudationis ducemus principium à vita, quam is egit ex virtute.
- Veri Christiani pulchritudo, diuitiæ, patria & ciuitas, quæ dicantur.
- Beatum quid.
- Pontus Euxinus, omnium rerum ferax.
- Neocæsarea vnde dicta.
- Diuitiæ, honores & omnia mundana vilipendenda.

Cum enim in corpore admodum iuuenili esset defectus naturali curatione, morte obita à parentibus, quando præ ætate imperfecta, multis intelligētia ab eius, quod bonum & honestum est, aberrat iudicio, statim ostendit ab ineunte ætate, qualis, ea iam perfecta, esset futurus. Et sicut generosa germina quando in primo incremento ramos directos ediderint, agricolis per præsentem speciem ostendunt eam, quæ postea futura est, pulchritudinem: Eodem modo ille quoque, quando alijs lubrica & instabilis est anima, ad ea quæ sunt vana & stulta, ut plurimum labente adoleſcētia, tunc statim per primum suum vitæ institutum ostendit in se ipso, Dauid verum dicere, Iustus ut palma florebit. Ea enim sola ex arboribus, perfecta verticis crassitudine è terra enascitur: & crescente augmento longitudinis, nullum in latitudinem additamentum accipit à tempore. Sic ille quoque floruit à prima germinatione, vitæ instituto confestim exortus perfectus, & excellis comatus frondibus. A tenera enim ætate omnia relinquens, quæ iuuenilis ætas stupet & admiratur, equos, venationem, ornatas vestes, ludos talorum, omnesque delicias, se totum statim contulit ad paradidas virtutes, quod præſenti semper ætati esset conducibile, deinceps eligens.

Prima autem ex virtutibus ei paratur, studium sapientiæ. Hanc autem tanquam matrem, coniunctus quidam pullus conſequebatur, temperantia. Ad vtraque autem erat adiutrix & socia, continentia. Ut à fastu autem & arrogantia, & etiam ab iracundia esset omnino remotus, egregie effecerat pecuniæ despicientia. Non aliunde enim oritur fastus & superbia, quam ex auaritia, & plura habēdi cupiditate, quæ secum hæc inducit vitia. Quomodo autem Patriarcham Abraham tradit scriptura, cum Chaldaica philosophiæ habuisset scientiam, numerosamque & ordinatam astrorum positionem motumque comprehendisset intelligentia, vltimum esse eorum cognitione, tanquam basi ac fundamēto ad supereminētis boni contemplationem: & cum animo reputasset, si quæ sensu percipiuntur, huiusmodi sunt, quidnam fuerint ea, quæ sensum superant: sic consecutus fuisse, quod quærebat, ut qui externa sapientia, veluti euctus esset, & per eam euasisset excelsior, adeo ut per eam quodammodo appropinquaret ijs, quæ non possunt comprehendere: Ità etiam hic Magnus in externa philosophia studiosè versatus, per quæ in multis hominibus error confirmatur gentilium, per ea deductus est ad intelligendum Christianismum: & relicta falsa parētum religione, eorum, quæ sunt, quærebat veritatem ex ijs, quæ sunt laborata ab externis, doctus, non posse consistere dogmata gentilium.

Quoniam autem in opinionibus de Deo, videt in diuersas scindi distrahi que opinioniones sapientiam similiter & Græcam, & barbaram, & dogmatum principes neque inter se conuenire, & vnumquenque pro se sedulo contendere, ut suum ingenij acumine & rationum subtilitate confirmet: eos quidem reliquit, ut qui bello intestino se vicissim euerāt, & accedit ad firmum ac stabile verbum fidei, quod nulla confirmatur verborum curiositate & artificiosis nexibus: sed per verborum simplicitatē equaliter prædicatur omnibus, quod coipso, quod sit supra fidem, habet quod sit fidele ac credibile. Si enim quod dicitur, esset eiusmodi, ut comprehenderetur à viribus humanarum cogitationum, nihil inter eam & Græcam interfuisset sapientiam. Nam illi quoque quod potuerint comprehendere, illud quoque esse opinantur. Quoniam autem non possunt humanæ rationes peruenire ad comprehensionem naturæ, quæ supereminet, ea de causa existit fides pro rationibus, quæ se extendit supra rationem & comprehensionem. Propterea ut de Moysē dicit scriptura, eum didicisse omnem Aegyptiorum sapientiam: ità etiam hic Magnus cum percurriisset omnem gentilium cruditionem, & cum cognouisset experientia, quam essent imbecilla, & quam non possent consistere, quæ sunt apud eos dogmata, Euangelij efficitur discipulus, & priusquam duceretur ad mysticam & incorpoream generationē, tam rectè vitam egit, ut nullas peccati fordes deferret ad lauacrum.

De insidijs, à iuuenibus & meretrice in eum comparatis.

Cum autem vitam ageret in Aegypto in magna Alexandri ciuitate, in quam etiam vndique confluebat iuuentus ex ijs, qui dabant operam philosophiæ & medicinæ, graue erat eius æqualibus spectaculum, adolescens, qui ornamento temperantiæ superabat canities. Laus enim eius, qui puram castamque vitam agebat, erat probrum eorum, qui foede & incestè vivebant. Ut ergo impudicis esset excusatio, nè ipsi soli viderentur esse tales, structis insidijs, ab eis initur ratio, ut illius magni vitæ labes aliqua

Cap. 3.

Psal. 91.
Nota de palma.

A puero viuit sanctissime.

Eius studij sapientiæ, & aliarum virtutes.

Abrahæ eruditio.

Fides non firmatur in verborum curiositate, sed simplicitate.

Fides pro rationibus. Act. 7.

Præter originale scilicet, & veniale peccatum.

Cap. 4.
Degit Alexandria S. Gregorius studiorum causa.

Calumniā
ei struitur.

aliqua inureretur. Ad calumniā autem in illum intentandā, producitur ab eis ē domo meretrix muliercula, quę notata fuerat infamia. Cū is autem pro more cum viris eximijis in habitu honesto differeret de re aliqua ex ijs, quę pertinebant ad philosophiam, accedit muliercula, petulanter & lasciuē se gerens, & ijs quę loquebatur & faciebat, prę se ferens, se cum eo habuisse stupri consuetudinem: deindē dicebat se mercede esse fraudatam, adijciens etiam cur causaretur se frustratam esse mercede. Cū hi autem, qui puram ac castam eius vitam cognouissent, agrē ferrent, & in mulierculam ira commouerentur, ipse neque conturbatus est vnā cum ijs, qui id egrē ferrebāt, neque cū calumnijs appeteretur, dixit aliquid eiusmodi, quod cōsentaneum est ab eo dici, qui irascatur. Non suę vitę citauit testes, non iureiurando illatum sibi probum repulit, non eorum, qui aduersus se hęc struxerant, arguit malitiā: sed quęta & constanti voce conuersus ad quendam ex familiaribus: Heus, inquit, solue ci pecuniam, nē amplius molestiam exhibēs, rei propositę studium inturber. Cū autem is, cui iussum fuerat, didicisset a meretrice, quātum ex ipso peteret pecunię: eam protinūs numerauit, finemque acceperunt ab impudicis aduersus temperantem comparatę insidias, & in infamis fœminę manibus iam erat lucrum.

Vide infignem patientiam.

Diuina vltio in eius calumniatricem.

Tunc autem diuinitus oritur testimonium temperantię adolescētis, & eius æqualium calumnię refutatio. Nam simul atquē manū accepit pecuniam, à spiritu dæmonis vexata, & stridore belluino præter vocem humanam ciulans, prona cadit in medio eorum, qui collecti fuerant. Horrendum & terribile spectaculum ijs, qui aderant, disiectis crinibus, & auersis oculis, & ore spumam expuente: neque prius eam remisit, qui ipsam suffocabat dæmon, quā magnus ille Deum inuocasset, & illum ei reddidisset propitium. Hęc sunt, quę narrantur de huius magni viri adolescentia. Verē digna procemia eius vitę, quę postea ab eo acta est. Quāquā tantum est hoc miraculum, vt etiam postea nihil posset aliud dici, nulli eorum, qui virtute excelluerunt, ex hoc solo esset in laude secundus. Diues adolescēs, qui ex patrię finibus excesserat, in frequentissima ciuitate vitam degens, in qua quoniam summa cum licentia se voluptatibus dedebant adolescentes, probro habebatur pudicorum castitas, nō matre de eius viuendi ratione sollicita, non patre eum erudiente quotidiana vitę officia, se per impatibilitatem eousquē ad virtutem sustulit, vt eum, qui præest omnibus, & omnia intuetur, vitę suę testem præbuerit, qui mulieris calumniā mala plaga arguit.

Genes. 39.

Quidnam maius posset excogitari ad argumentum encomij? Quomodo autem posset hoc satis laudari pro dignitate, quod is natura ratione superata, & iuuentute, non secus ac aliquo domito animali, rationi subiugata, effectus superior omnibus, qui naturaliter in anima excitantur, motibus, inuidiam quoquē, quę omnia, quę sunt pulchra ac præclara, adoritur, in se commotam deuicit: vt qui neque sibi paratas à socijs insidias vlcisci statuerit, & eam, quę illis ad imponendam sibi maculam inferuierat, beneficio affecerit, à vexatione dæmonis eam oratione liberans? Talem fuisse Ioseph nouimus ex historia, in cuius potestate quidem positum erat, in domini vxorem delinquere, cū illa ipsa speciem adolescentis insanē deperiret, nec audacis incepti homo esset vllus testis. Sed ille quoquē Dei oculum adspiciens, maluit videri malus, quā esse, vt qui quę maleficis & sceleratis fiunt, potius sustinuerit, quā ipse fieret maleficus. Habuit enim diuinum oculum, ea quę siebant adspicientem. Sed in hoc licet fortasē gloriari vltra illam historiam. Non enim par est ad auerfandum flagitium scelus adulterij, & videri in minore delicto susceptum habere dedecus. Cui ergo in mente non versabatur aliquod ex legibus periculum, supplicio formidabiliorem ipsam ex peccato voluptatem esse apud se iudicans, Iosephum anteijt miraculi magnitudine, aut certē non iudicabitur omnino ei esse secundus.

Cap. 5.
Firmanus
Cæsarensis
antistes.

Sed vitę quidem tale fuit procemium: ipsa autem vita quanam fuit? Postquā omni percurfa externa sapientia, incidit in Firmianum quendam Cappadocem honesto loco natum, moribus sibi similem, vt ille ostendit vita, quę postea est consequuta, vt qui fuerit ecclesię decus Cæsarensium: & vitę suę scopum ac institutum suo amico declarauit, quod scilicet ad Deum tēderet, & vidit illius studium in eodē congruere desiderio, relicto omni externę philosophię studio, cum illo ventitat ad eum, qui illo tempore dux erat Christianę philosophię. Is autem erat Origenes, cuius scripta magnifunt, & ea ratione ostēdit, non solūm studium & diligentiam, sed morum etiam honestatē & moderationem. Cū enim esset tanta referus sapientia, non dignatus

Gregorius
venit ad
Origenem,
& eius fit
discipulus.

dignatus est alio vt magistro ad diuinas disciplinas. Cùm autē apud magistrum tanto tempore esset versatus, quod percipiendis satis esset disciplinis, cùm multi essent, qui eū in externa regione retinerent, & apud se eum manere vellent, eam quæ ipsūm peperit, regionem omnibus præferens, reuertitur in patriam, sapientiæ & cognitionis diuitias omne genus importans, quas veluti mercator quispiam in externis studijs cum omnibus versans, qui magnæ erant existimationis, mercatus est. Quanquàm ei, qui res rectè iudicat, ne hoc quidem omninò ad eius laudem paruū esse videbitur, tantæ ciuitatis preces, quæ cōmuniter fiebant, despiciere, & omnium eximiorum, qui in ea erant, virorum, & qui apud eos versabantur magistratuū, vt vir illic maneret, contententium, studium nō admisisse. Quibus omnibus hoc erat propositum efficere, vt vir ille magnus apud eos maneret, futurus tanquàm ædificator virtutis, & vitæ legislator. Sed vndequaq; fugiens materiam arrogantæ, vt qui sciret vitium superbiæ vt plurimum fuisse causam & principium malæ ac sceleratæ vitæ, ad vitam quietam in patria degendam, tanquàm in portum aliquem confugit. Cùm autem tota gens illa eum virum adspiceret, & omnes expectarent, vt in publicis conuentibus ipse suā aperiret eruditionē, vt longorum laborum fructum aliquē perciperet, gloriam & existimationem: sciret autem vir ille magnus, vndenā oporteat veram philosophiam publicari ab ijs, qui eam verè exercent, nec aliqua ambitione, laudisq; & honoris cupiditate eius sauciaretur animus, (Grauis enim laus est eorum, qui audiunt, cùm arrogantia & gloriæ cupiditas frangat & eneruet robur animæ) ea de causâ ostentationis loco vsus est silentio, re ipsa, non verbis, ostendens thesaurum reconditum. Cumque à fori tumultibus & vt in summa dicam, à vita, quæ in ciuitate transigitur, seipsum separasset, in quadam solitudine secum solummodò versabatur, & per seipsum cum Deo, vniuersi mundi & eorum, quæ sunt in ipso, paruam ducens rationem, non de regnis sollicitus, non de magistratibus anxie curam gerens, aliquidve sciscitans, nō quomodò ex rebus publicis communiter aliquid administraret, narrantem audiens, sed vt anima per virtutem perficeretur curans, ad hoc toto studio contendebat, vitam & quæcunque in ea sunt, valere iubens, quidam alius Moses nostris temporibus reuera cum illius contendens miraculis. Exierunt ambo ab hac turbulenta vita & strepitu referta, Moses & Gregorius, vterque suo tempore priuatim & seorsum viuentes, donec vtrisque, Deo eis apparente, manifestum fuit puræ vitæ lucrum. Sed Moses quidem, qui fuit contubernalis philosophiæ, vxorem vnā quoq; adiunxit: Gregorius autem solam adsciuit virtutem, quæ secum habitaret. Cùm ergò in vtrisque par fuerit scopus & institutum, (vtrisque enim finis fuit, vt à vulgo secederet, & purissimo animæ oculo diuina contemplaretur mysteria) licet ei, qui scit virtutem respicere, iudicare, vtri maiore impatibitate vita fuerit roborata, eīne, qui descendit ad legitimum & concessum vsū voluptatum, an ei, qui ipsum quoq; superauit, & materiali affectioni nullum dedit aditum.

Superbia,
principiū &
causa malæ
vitæ.

Viuit in pa-
tria solita-
rius.

Exod. 3.

Exod. 2.

*De Phœdimio Amasæ Episcopò, & eiusdem Gregorij Thau-
maturgi ab eo ordinatione.*

Cùm autem Phœdimus, Amasæ Ecclesiæ illo tempore præfectus, cui diuinitus ex sancto Spiritu inerat vis præsciendi futura, omne studium poneret, vt si in manus eius veniret magnus Gregorius, eum Ecclesiæ præficeret, nè vir tam præclarus ociosam & inutilem vitam traderet: is sentiens quid cuperet & pararet Episcopus, conabatur latere, nunc ad hanc, nunc ad aliam transiens solitudinem. Quoniam autem nihil non experiens insignis ille Phœdimus, omnibusque vtens machinis & artibus, non poterat Gregorium adducere ad sacerdotium, vt qui diligentissimè obseruaret & circumspiceret, nè quandò eum sacerdos manu apprehenderet: eratque vtrique æquale studium, cùm alter quidem capere, alter verò effugere cuperet persequentem. Nam alter quidem cupiebat Deo sacrum offerre donarium, alter verò timebat, nè ei afferret ad philosophiam aliquid impedimēti sacerdotij cura, tanquàm graue aliquod onus, eius vitæ imposita: ea de causâ diuiniore quodam impetu ad studium propositum impulsus Phœdimus, nihil attendens, quod inter eos intercedebat spatium, quo remotus erat à Gregorio, qui ab eo distabat trium dierum itinere: sed ad Deum respiciēs, & dicens, & se & illum à Deo hora illa adspici, pro manu verbum imponit Gregorio, eum Deo consecrans, qui corpore non aderat, & ei illam ciuitatem attribuēs, quam vsque ad ea tempora contigerat teneri tanto errore idolorum, vt cùm

Cap. 6.
Phœdimus
Amasæ
Episcopus.

Creatur
Episcopus
absens.

vt cùm essent innumerabiles, qui & ipsam habitabant ciuitatem, & eam quæ est circumcirca regionem, non inuenti sint plures, quàm septemdecim, qui verbum fidei accepissent.

De Theologia reuelata per sanctum Iohannem Theologum & Euangelistam, & sanctam Deiparam.

Cap. 7.
Cogitur
Episcopatu
suscipere.
Galat. 1.

Visione cõ-
firmatur &
instruitur.

Doctrina
diuinitus
reuelata S.
Gregorio.

Cùm sic ergò iugum coactus subiisset, omnibus legitimis postea in ipso peractis, & ab eo, qui sacerdotem ipsum renunciârat, breue tempus petiisset ad mysterium accuratè considerandum, non ampliùs, sicut dicit Apostolus, existimauit oportere attendere carni & sanguini: sed petijt, vt sibi fieret diuinitus manifestatio occultorum: neque priùs ausus est accedere ad verbi prædicationem, quàm per quãdam visionem fuisset sibi reuelata veritas. Nam cùm noctu aliquandò de verbo fidei consideraret, & omne genus cogitationes versaret, (erat enim tunc quoquè quidam, qui probabilibus argumentis piam adulterabat doctrinam) sæpè etiam intelligentibus dubiã reddentes veritatem, pro qua tunc ei vigilanti, & diligenter meditati reuerà appàret quidam, tanquàm in figura humana, honesta veste pontificia indurus, forma senili, vultusque dignitate & honestate habitus, magnam virtutem præ se ferens. Is verò visu stupefactus, surrexit quidem è cubili, rogauitque vt sciret quisnam esset, & quanam de causa veniret. Cùm ille autem voce quieta sedãsser eius animi perturbationem, & dixisset se iussu diuino ei apparuisse propter ea, de quibus dubitabat, vt ei reuelaretur piæ fidei veritas, illius verbis ei confirmatus est animus, illumque adspexit cum quadam lætitia & admiratione. Deindè cùm ille manum directò porrexisset, & ei tectis digitis veluti ostenderet id, quod ex obliquo apparebat, ipse quoque vnà cum porrecta illius manu suum quoquè vultum conuertit, & ex aduerso eius, quod viderat, aliud vidit spectaculum in muliebri figura, quæ formam superabat hominis. Rursus autem stupefactus, in seipsum inclinauit, dubioque ac omninò perplexo fuit animo propter spectaculum, vt qui oculis non ferret visionem. Etenim in hoc maximè consistebat admirabilitas visionis, quòd cùm esset nox profunda, simul cum ijs, quæ visa fuerant, lux resplendebat, tanquàm cuiusdam lucidi conflagrantis thalami. Quoniam ergò non poterat oculis ferre visionem, audiuit quendam dialogum eorũ, qui à se visi fuerant, explicantium inter se inuicem rationem eius, quod quærebatur: per quos non solum didicit veram fidei cognitionem, sed etiam nominatim cognouit eos, qui apparuerant, cùm vterque ex his vocaret alterum suo nomine. Dicitur enim audisse ab ea, quæ in figura muliebri apparuerat, rogante Iohannem Euangelistam, vt manifestaret iuueni mysterium veritatis: illum autem dixisse, se paratum esse matri Domini in hoc quoquè gratificari, quoniam ei ita placeat. Et ita cùm dixisset breuem, & quæ faciliè describi poterat, orationem, se ab eius subduxisse oculis: eum autem diuinam illam mystagogiam protinùs mandasse literis, & illo tempore prædicasse verbum in Ecclesia, & posteris veluti quandam hæreditatem, illam diuinitus datam doctrinam reliquisse, per quam in hodiernum vsque diem in mysterio instituitur, qui est apud illos, populus, qui permansit intactus ab omni virio hæretico. Hæc sunt autem verba mystagogiæ: Vnus Deus pater Verbi viuentis, consistentis sapientiæ, & virtutis, & characteris æterni, perfectus perfecti genitor, pater filij vnigeniti. Vnus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character & imago diuinitatis, Verbum efficax, sapientia, quæ eorum, quæ sunt, continet constitutionem, & virtus effectrix vniuersæ creaturæ. Verus filius veri patris, inuisibilis patris filius inuisibilis, & qui interire non potest, eius, in quem non cadit interitus, & qui mori nõ potest, immortalis & æternus æterni. Vnus spiritus sanctus, qui ex Deo quod sit habet, & per filium scilicet apparuit hominibus, imago filij perfecti perfecta. Vita, causa viuentium, fons sanctus, sanctitas suppediatrice sanctificationis, in quo manifestatur Deus pater, qui est super omnia, & in omnibus: & Deus filius, qui per omnia. Trinitas perfecta, quæ gloria & æternitate & regno non diuiditur, neque abalienatur. Neque ergò creatum est aliquid aut seruum in Trinitate, neque aduentitium, tanquàm quod priùs quidem non esset, postea autem sit ingressum. Neque enim filius vnquàm defecit patri, neque filio spiritus, sed immutabilis & inalterabilis, semper est eadem Trinitas. Quòd si quis velit de hac re sibi fidem fieri, audiat Ecclesiam, in qua verbum prædicabat. Apud eos enim in hodiernum vsque diem seruantur beatæ illius manus characteres. An non hæc cum illis tabulis à Deo fabricatis certant gratiæ magnitudine? Illas autem dico tabulas, in quibus diuinitus voluntatis

Iuntatis impressa est legilatio. Quomodo enim Mossem dicit scriptura, cum fuisset extra id, quod apparet, & intra ea, quae oculis cerni nequeunt, adyta anima peruenisset, (Hoc enim significat caligo) & diuina mysteria didicisse, & per se totum populum in cognitione Dei instituisse: in hoc quoque magno viro licet eadem videre oeconomiam: cui mons quidem erat, non tumulus aliquis sensilis, sed altitudo verorum dogmatum cupiditatis: Caligo autem id, quod alij capere non possunt, spectaculum: Tabula verò, anima: Litera autem, quae erant in tabulis, vox eius, qui fuit ab eo visus. Per quae omnia, & sibi, & ijs, qui ab ipso instituebantur, fuit declaratum mysterium.

Postquam ergo fiducia quadam & audacia per hanc impletus est visionem, non secus ac athleta quispiam, qui quantum satis est experientiae & virium à puerorum, qui exercebantur, magistro naetus ad certamina, fidenti & audaci animo se exiit ad stadium, & in puluere decertat contra aduersarios: eodem modo & suo studio, & eius, quae sibi apparuit, gratiae auxilio, animo satis instructus, certamina sic aggreditur. Non oportet enim aliquid aliud vocare, quam certamina & contentiones, omnem vitam, quam ipse egit in sacerdotio, in quo per fidem prostravit omnes vires aduersarij. Nam cum statim se à solitudine mouisset, & ad urbem contederet, in qua oportebat eum Deo confruere Ecclesiam, cum cognouisset totum locum à fraude demonum obtineri, & veri quidem Dei templum nusquam esse constructum, totam autem ciuitatem, & quae circum circa sita est, regionem esse plenam altaribus, delubris & simulacris, vniuerso populo suum in hoc ponente studium, vt ornata essent memora & sacra idolorum, & insanus simulacrorum cultus maneret apud homines, confirmatus pompis & mysterijs, & eorum, quae in altaribus maectantur, inquinamentis: non secus ac fortis aliquis miles, cum duce exercitus pugna congressus, per illum vincit eos, qui parent illius imperio: ita etiam hic vir magnus incipit aduersus ipsos demones se praclare gerere. sed quonam modo?

De mansione in templo, & fuga demonum, & aedituo.

Nam cum à remota illa solitudine viam urbem versus conficeret, nox autem deprehendisset, & eum vehementior pluuia retardaret, subit quoddam templum cum suis comitibus. Erat autem illud templum insigne, in quo qui colebantur demones, ad aedituos aperte ventitabant, vt qui illic diuinarent, & responsa redderent. Cum autem subiisset templum cum suis comitibus, demones quidem confectum exterruit Christi nominis inuocatione: figura autem Crucis aere expiato, qui erat inquinatus nidoribus, illic mansit, pro more totam noctem in orationibus & hymnis decantandis vigilans, adeo vt esset transformatum in domum orationis templum, quod propter cruorem victimarum & simulacra erat abominandum. Cum hoc modo totam noctem peregisset, mane rursus coepit vltra progredi. Cum verò aedituus mane confectum demonibus cultum exhibuisset, apparentes ei demones, dicunt clamantes, non licere eis templum ingredi propter eum, qui illic manserat. Is autem quibusdam piaculis vtens, & quaedam sacrificia adhibens, per ea conabatur demones rursus in templo collocare. Postquam autem eo nihil non experiente, erat ei labor irritus, cum demones non amplius pro more exaudirent eius vocationem, tunc ira percitus aedituus, magnum illum virum offendit, omnes in eum minas aperte intentans, se & eum ad magistratus delaturum, & manus ei illaturum, & audax eius coeptum Imperatoribus esse significaturum: quod cum esset Christianus, & dijs inimicus, ausus sit templum ingredi, cuius ingressum esse auersatam, quae in sacris operatur, potestatem, nec amplius in eis locis habitare, vt solebat, diuinantem demonum operationem. Cum is autem temerariam & insolentem aeditui iram eximia repressisset prudentia, & opposuisset omnibus eius minis verum Dei auxilium, & diceret, se in eius, qui pro eo pugnaret, viribus tantam posuisse fidutiam, vt potestatem habeat expellendi demones, vnde velit, & eos collocandi in quibus velit locis, & pollicetur, se ea, quae diceret, iam esse demonstraturum. Admiratus aedituus, & magnitudine potestatis obstupefactus, rogauit vt in hisiis suam ostenderet potestatem, & rursus in templum reduceret demonia. Cum Magnus autem ille haec audisset, rupit breuem quandam libelli particulam, & eam dedit aedituo, in ea impressa quadam voce imperante demonibus. Haec autem verba continebat scriptura: Gregorius satana: Ingredere. Cum autem accepisset aedituus libellum, altari imposuit. Deinde cum ei confectos obtulisset nidores & inquinamenta, rursus

Exod. 31.
Exod. 20.

Totus eius
episcopatus
no nisi certamina.

Cap. 8.

signo Crucis aere expiat.

Demones non audent ingredi fanum suum propter illum.

Magna eius potestas in demones.

videt ea, quæ prius viderat, antequàm à templo essent exterminati dæmones. Cùm hæc autem facta essent, cœpit cogitare diuinam quandam potestatem esse in Gregorio, per quam visus erat esse potentior dæmonibus. Cùm eum ergò rursus magno esset studio consequutus, priusquàm venisset in ciuitatem, rogauit vt ab eo disceret mysterium, & quisnam esset ille Deus, qui sibi subiectam haberet dæmonum naturam. Cùm autem paucis ei dixisset Magnus ille mysterium pietatis, ita fuit affectus ædituus, vt est verisimile eum affici, qui rebus diuinis initiatus, & opinatus est rem esse viliorem & abiectiorem, quàm vt existimaretur Deus per carnem humanam apparuisse. Cùm is autem dixisset eius rei fidem non confirmari verbis, sed eorum quæ fiunt, probari miraculis, ædituus adhuc ex eo quæsiit miraculum. Deindè per id quod factum est, adductus est, vt fidei assentiretur. Quo tempore dicitur Magnus ille fecisse miraculum omnium minimè credibile.

De miraculo, quod factum est in lapide.

Cap. 9.

Grande fa-
xum iuber
se aliò trāf-
ferre.

Ædituus
credidit.

Nam cùm requireret ædituus ingentem quendam lapidem, qui eorum oculis se obrulit, manu autem humana moueri non pōterat, per solam ex fide potestatem, iussu Gregorij transferri ad alium locum, nihil differens ille magnus, statim tanquàm animato imperauit lapidi, vt transfret ad illum locum, quem ostendit ædituus. Vbi autem hoc factum est, vir statim verbo credidit, & omnibus relictis, genere, domo, vxore, possessionibus, filijs, amicis, sacerdotio, focus & penatibus, pro his omnibus delegit cum magno illo viro versari, & esse eius laborum particeps, & diuina illa frui philosophia & eruditione. Sileat ad hæc omne scriptorum artificium, miracula per historiam augens & amplificans. Non enim in his, quæ dicta sunt, tale est miraculum, vt dicentis eloquentia seipso fiat maius aut minus. Quid enim dicens quispiam prater ea, quæ dicta sunt, additamentum adiunxerit miraculo? Quomodo autem auditorum minuerit admirationem de eo, quod factum est? Lapis abducit lapidem, nempe eos, qui seruibant lapidibus. Lapis fit præco fidei diuina, & dux ad salutem infidelibus, non voce aliqua & verbo diuinam prædicans potestatem, sed ijs quæ fecit, Deum esse ostendens eum, qui prædicatur à Gregorio, cui subiecta omnis paret creatura eadem honoris æqualitate: neque solùm quicquid est vi sentiendi præditum, & spirat, & est animatum, sed etiam si quid est extra hæc, ministri iussu capeſſunt, tanquàm quæ sensu non careant. Nam quis est auditus lapidis? qui sensus eius, quod iubetur? quænam est in eo potestas se transmouendi? quænam membrorum & articulorum est ei constructio? sed hæc omnia, quæ sunt huiusmodi, fiunt virtute iubentis. Quam cùm vidisset ille ædituus, statim fraudem dæmonum, qua vrebantur ad humanam decipiendam naturam, & animaduertit, & est abominatus, & ad verum Deum se conuertit, cùm per ea, quæ à seruo facta fuerant, considerasset inexplicabilem Domini potestatem. Si enim talis est serui potestas, vt verbo moueat ea, quæ sunt immobilia, & vtatur imperio in ea, quæ sunt nullo sensu prædita, & præcipiat rebus inanimis: quantam potestatis abundantiam consentaneum est existimare inesse in Domino vniuersi, cuius voluntas fuit constructio & vis ipsius mundi, & omnium, quæ sunt in ipso, & omnium, quæ sunt supra ipsum?

Comites vi-
ri Dei fue-
runt virtu-
tes.

Negligit
hominū ap-
plausus, vir
mūdo plane
mortuus.

Dehinc cùm ille magnus cœpisset se præclare & fortiter gerere aduersus dæmones, & veluti quoddam trophæum aduersus deuictos circumducens ædituum, iam sui nominis fama perculsa gente, cum bona fiducia sic ingressus est ciuitatem, non curribus, & equis, & mulis, & comitatus multitudinem se iactans, sed circuncircā stipatus virtutibus. Publicè autem effusus omnibus vrbs habitatoribus ad nouum videndum spectaculum, & omnibus videre cupientibus, quisnam sit ille Gregorius, qui cùm sit homo, tanquàm rex quispiam habeat potestatem in eos, qui apud ipsos existimantur esse dij, pro imperio ferens, & agens quocunquè voluerit dæmonia, & vndenam voluerit, pro arbitrio expellens, & inducens tanquàm mancipia, & illorum ferat cultorem veluti vi quadam redactum in seruitutem, despicientem quidem honorem, in quo prius fuerat, pluris autem facientem vnà cum eo versari, quàm omnia quæ habebat. Omnibus autem eo animo ante ciuitatem illum expectantibus, cùm eò accessit, omnibus illum fixis oculis adspicientibus, tanquàm materiam inanimam homines præteriens, ad nullum conuersus eorum, qui occurrebant, & rectà pergens in ciuitatem, multò magis eos obstupescit, cùm eum videntibus famam videretur superare. In magnam enim ciuitatem primùm ingredientem, cùm nulla ei prius fuisset

fuiſſet eiufmodi conſuetudo, non admiratum fuiſſe tantum populum, ſed tanquam incedentem per ſolitudinem, ad ſeipſum ſolum & ad iter reſpicere, ad nullum ſe conuertentem ex ijs, qui circa ipſum congregati fuerant, hoc viſum eſt hominibus ſuperare miraculum, quod factum eſt in lapide. Ea de cauſa habita eſt ratio eorum, qui, vt antè dixi, fidem ante eius aduentum acceperant, vtpotè vniuerſa ciuitate honorante eius ſacerdotium. Sicingreſſus eſt vndiquè compreſſus & coarctatus ab ijs, qui eum deducebant. Deindè verò ſimulac attingit philoſophiam, ab omnibus, tanquam ab aliquo onere, ſeipſum liberauit, & nihil ei erat ex ijs, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, non ager, non locus, non domus, ſed ipſe erat ſibi omnia: vel potius virtus & fides erat ei patria, & focus, & diuitiæ. Poſtquam ergò fuit quidem intrà ciuitatem, ad quietendum autem nuſquam ei erat domus, non Eccleſiæ, non propria: ijs, qui erant cum ipſo, tumultuantibus, & quomodo diuerſaretur, & apud quem tegumentum inueniret, dubitantibus: Quid hæc (inquit ad eos magiſter) dubitatis, tanquam ſitis extra Dei tegumentum, vbinàm veſtra corpora quieti daturi ſitis? Vobisne parua domus videtur eſſe Deus, ſiquidem in ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus? Anguſtùmne ducitis cæli tegumentum, & ab eo quæritis aliud diuerſorium? Sit vobis ſtudio vna domus, nempe ſua vnicuique vita, quæ per virtutes ædificatur, & in altum erigitur. Hoc ſolum vobis ſit curæ, nè tale habitaculum ſit nobis imparatum. Terreſtrium enim murorum ambitus non afferunt lucrum ijs, qui viuunt in virtute: potius autem ab ijs, qui vitio inquinantur, parietum vſus iure requiratur, quoniam occultorum probrorum domus ſæpè eſt operculum. Qui autem ex virtute vitam gerunt, non habent parietes, quidnam eorum occultent.

Quemadmodùm domi ſuæ eum exceperit Muſonius.

Cùm autem hæc diceret ijs, qui cum ipſo verſabantur, accedens quidam vir ingnis, qui genere & diuitijs, reliquisque copijs & potentia erat inter primos numerandus, nomine Muſonius, cùm vidiffet multos eodem teneri ſtudio, vt Gregorium ſuis ædibus exciperent, occupans alijs præripit hanc gratiam, rogans, vt ille magnus hoſpitiò à ſe exciperetur, & ingreſſu domum ſuam honoraret, vt eſſet ſplendidior & glorioſior in futurum, & memoriam huius honoris ad poſteros tranſmitteret. Cùm autem concurrentes multi eadem rogarent, æquum eſſe cenſens, eam gratiam concedere ei, qui præuenerat, cùm alios benignis verbis profecurus eſſet, & viciffim honoraffet: diuertit ad eum, qui prior inuitarat. Si autem eorum, quæ de ipſo dicuntur, hiſtoria conſiſtit in nuda ac ſimplici narratione, nec ad ſe confirmandam vllis vitur argumentis, eas, quæ excogitari poſſunt, amplificationes noſtra oratione conſultò præmittente, fuerit hoc quoque ijs, qui res rectè iudicant, non paruum teſtimonium, quòd nihil ſit excogitarum, vt eius, cuius meminimus, augeantur miracula: ſed ad perfectiſſimam laudem ſufficiat rerum ab eo geſtarum memoria, veluti quædam naturalis in facie pulchritudo, quæ nulla curioſa fucandi arte efflorefcit.

Cùm autem eſſet exiguus numerus eorum, qui priùs in verbo initiati & inſtructi fuerant, antequàm dies præteriffet, & Sol veniffet ad occaſum, tantus acceſſit numerus in prima congreſſione, vt ad conſtituendam populi congregationem ſufficeret multitudo eorum, qui crediderant. Manè aduenerat, & rursus aderat populus proforibus, & ipſi, & vxores, & filij, & ætas conſecta ſenio, & ſi quis aut à dæmonibus vexatus, aut ab aliquo alio incommodo & calamitate corporis, illeque in medio eorum ad vſum eorum, qui conuenerant, congruenter virtuti ſpiritus ſe diuidens, prædicans, examinans, admonens, docens, curans. Hac enim prædicatione multos maximè adducebat, quòd viſus ad auditum accederet, & per vtraque diuinæ virtutis in eo reſplenderent indicia. Aures enim ſermo, oculos verò adducebant in admirationem, quæ in ægroto fiebant, miracula. Qui lugebat, audiebat quod eum conſolaretur. Iuuenis caſtigabatur, & docebatur temperantiam. Seni porrigebatur medicina verbis conuenientibus. Serui docebantur, vt benè afficerentur in dominos. Qui dominatum obtinebant, vt eſſent benigni & clementes in eos, qui ſubijciebantur eorum imperio. Pauper, vt ſolas diuitias exiſtimaret virtutem, cuius poſſeſſio eſt in cuiuſlibet poteſtate poſita. Is, qui ſe de ſuis iactabat diuitijs, conuenienter admonebatur, vt eorum quæ habebat, eſſet œconomus, non dominus. Mulieribus conducibilia, pueris conuenientia, & patribus ea, quæ decebat, diſtribuens: & factus omnia omnibus, tantum repente populum induxit auxilio ſancti ſpiritus, vt ad templum adificandum

Templum
construit.

ficandum fuerit incitatus, pecunijs & corporibus omnibus ad id suum studium conferentibus. Hoc est templum, cuius constructionis ille iecit fundamenta, & id coepit aedificare. Exornauit autem quidam ex successoribus pro illius dignitate, quod etiam in hodiernum vsque diem ostenditur. Id autem vir ille magnus protinus huic rei incumbens, veluti sui sacerdotij fundamentum quoddam & quandam basim viro ciuitatis clarissimo commendauit, diuina quadam impulsione & maiori ope studens operi, vt sequens tempus testificatur. Nam cum nostris temporibus grauissimus aliquando terramotus ciuitatem labefactasset, & omnia propemodum funditus perijissent,

Solum illud
templū non
euectit ter-
ramotus.

& publica ac priuata aedificia omnia corruissent, solum illud templum mansit infractum & inconcussum, vt vel ex hoc sit manifestum, cum cuiusmodi potestate vir ille magnus ea, quae a se erant gerenda, susciperet. Sed haec quidem multis postea temporibus a diuina potentia demonstrata fuisse ad huius magni viri fidem testificandam. Tunc autem cum omnes, tam qui urbem, quam qui circum circa positam regionem habitabant, Apostolica miracula stupuissent, & quicquid ab eo dicebatur ac fiebat, vi diuina geri & dici credidissent, ne earum quidem controuersiarum, quae ad hanc vitam pertinebant, existimabant vllum esse praestantiorē iudicem: sed omne iudicium, perplexumq; & implicitum negotium illius consilio expediebatur. Ex quo & bonarum legum obseruatio, paxque & tranquillitas, & publice & priuatim eis aderat illius beneficio, & magnum bonorum incrementum, cum nullum vitium eorum inter se concordiam abrumperet. Non alienum autem fortasse fuerit, si vnus eius iudicij fecero mentionem, vt, sicut est in prouerbio, ex fimbria nobis appareat totus vestimenti contextus. Etenim diuina scriptura, cum Salomon apud suos subditos multa fecerit iudicia, satis habuit per vnum suam ostendere sapientiam, quando inter illas duas matres fuit iudex. Quoniam autem non poterat argui maleficium, cum vtraque earum ex aequo mortuum quidem infantem non admitteret, superstitem autem sibi vendicaret, ingeniose constituit occultam inuestigare veritatem. Quonia enim ad probandum maleficium nulli producebantur testes, & in vtriusq; erat aequalis veri & falsi coniectura, produxit naturam ad ferendum veritati testimonium, callidis minis celans sui animi institutum. Iubens enim viui & mortui corpus in aequales partes ense disseccari, & dimidias filiorum partes vtriusq; tribui, permittit naturae iudicium veritatis. Vbi enim vna quidem quod imperatum fuerat, lubenter exceperit, & carnificem induxit: altera vero maternis comota visceribus, confessa est se esse victam, rogans vt parceretur filio, seque gratiam habituram, si quomodo cunquē seruarietur infans: hoc esse veritatis iudicium rex decernens, eam quae sua sponte victa fuerat, victricem sua sententia pronunciat, reputans quod quae caedi filij non pepercerat, a natura arguatur non esse mater eius, ad cuius mortem properabat. Nos ergo huius quoque magni Gregorij aliquod narrabimus iudicium.

1. Reg. 3.

De stagno, & duobus fratribus.

Cap. II.

Duo quidem fratres aetate iuuenes, qui paternam hereditatem nuper inter se diuiserant, vnum stagnum vendicabant, vterque torum id habere contendens, & non admittens alter alterum in societatem possessionis. Fit magister, causa arbiter, qui cum ad locum peruenisset, in arbitrio vsus est suis legibus, hoc agens, vt reconciliarentur iuuenes, & redirent in gratiam, & lucrum pacis existimarent vtriusque praestantius. Illud enim semper manet, & viuis & mortuis: hoc autem vsum quidem ad tempus durantem, aeternam autem propter iniuriam habet condemnationem: & quacunque par erat eum dicere, ad reprimendam iuuentutis insolentiam & immoderationem. Cum autem esset inutilis eius exhortatio, & ferueret adolescentia, & maiori ira incenderetur, spe lucri aestuans, & vtrinque ex subditis pararetur exercitus & magna manus, ira duce ac furore eadem spirans, constitutum fuit tempus certaminis. Cum autem postridie eius diei esset vtrinque committendum praelium, permanens homo Dei in stagni ripis, & totam noctem agens insomnem, fecit quoddam mosaicum in aqua miraculum, non ictu virgae profundum in duas partes scindens, sed eam totam tanquam terram consolidans, effecit continentem planam aridam, & omni humore vacuam, vt ne in cauo quidem villo vllas habeat aquae reliquias, quae ante orationem instaret pelagi exundabat. Atque ille quidem cum diuina potestate hanc tulisset sententiam, rursus domum redijt: adolescentibus autem, lata factis ipsis sententia, diremit contentionem. Cum enim id non esset, pro quo bellum inter se parabant, pax iram esse con-

Lucrum pa-
cis, vtriusque
praestantius.

Exod. 14.

Stagnū mu-
tat in terrā.

sequuta,

sequuta, & rursus natura inter fratres dedit sui significationem. Ac tunc quoq; diuine illius sententiæ licet videre signa euidentia. Nam circa id, quod olim fuit stagnum, in hodiernum diem seruantur aliqua vestigia aquæ inundationis. Quicquid autem erat aquæ profundum, id totum est transmutatum, vt quod à syluis, pratis, agris & habitatione sit occupatum. Hoc fuit eiusmodi iudicium, vt ne ipsum quidem longè clarissimum, & qui est maximi nominis, Solomonem existimem velle sibi primas partes tribuere. Quid enim ad virtutem tantum est, materno vberi seruare infantem lactentem, cui quod ad salutem quidem attinet, perindè erat, seu à parète, seu ab alia ei alimentum præberetur: & duobus adolescentibus procurare salutem, qui cum in ipso flore ætatis & seruore adolescentiæ de ijs, quæ ad victum pertinent, contendebat, ad mutuam eadem œstro quodam iracundiæ perciti erant, posteris vt horrendum ostendendi spectaculum, vt qui sibi manus inuicem attulissent, quos erat verisimile, vel ambos à se inuicem interituros, vel vnum omninò reum futurum fratricidij sceleris: vt eos omittamus, qui eadem ira cum vtrisque in eadem stabant acie, qui hoc vnum sibi proponebat, hoc vnum concupiscebant, vt aduersarios suos morte afficerent. Qui ergò mortis sententiam ductu mali demonis in eos confirmatam precatione rescidit, & naturam sibi reconciliauit, & mortalem contentionem in pacificam conuertit laritiam, quanto est conuenientius eum propter iudicium haberi in admiratione, quàm eum, qui meretricis depræhendit maleficium? Nam quod in aqua factum est miraculum, quemadmodum repente in terram mutatum sit, quod erat nauigabile, & campus, & cauum factum sit stagnum, & quemadmodum quæ in eo loco prius erat instar maris, ad fructus ferendos nunc colatur, existimo esse satius id silentio præterire, quàm persequi oratione, cum non possit pro dignitate extollere miraculū. Quid enim didicimus huiusmodi in ijs, quæ scripta sunt, miraculis, vt possit cum hoc conferri? Stritit Iesus Naue filius fluentum Iordanis, sed tantisper, dum arca erat in aqua. Cum autem transiisset populus, & arca transiisset, suæ consuetudini redditus est fluuius. Nudatur aqua in rubro mari, id quod subiectum erat profundo, mari à spiritu in obliqua protruso. Sed tempus miraculi fuit transitus exercitus, qui fuit per siccum in profundo. Post hoc autem simul cum aqua redijt ea, quæ prius erat, superficies, & quod parumper fuerat diuisum, rursus coijt. Hic autem quod semel factum est, remansit quale fuit, ne tēporis curriculo fides non habeatur miraculo, quod ea quæ cernuntur, testantur in perpetuum. Ea quidem, quæ de stagno dicuntur & ostenduntur, hoc modo se habent.

De miraculo, quod factum est in fluuio.

Alterum autem eius post hoc tale miraculum ostenditur & memoratur. Quidam apud eos fluuius præterfluit regionē, ipso nomine indicans, quàm sit asperum & immane fluentum. Lycus enim nominatur, quod sit accolis noxius. Is vel ex ipsis quibusdam Armeniæ fontibus descendit cum magno aquæ impetu, cum per montes, qui ei supereminet, lapsus, copiosum fluentum suppeditet. Cum in concauis autem locis subter præcipitiorum radices vndiquè præterlabatur, hybernis torrentibus longè euadit violentior, quæ confluunt è montibus, aquas in se excipiens. Cum verò in supina & humili, quam præterfluit, regione, sæpè suis marginibus angustè coerceretur, in aliqua parte ripa effundebatur, agros omnes subiectos, & quicquid erat aliud, suo fluento per transversum inundans, adeò vt eius loci accolis ex improviso continua inferret pericula, in tempesta nocte, vel etiam interdum flumine in agros irruente. Quo fiebat, vt non solum plantæ & semina, & pecora aquarum impetu interirent, sed etiam ad ipsos vsque habitatores perueniret periculum, qui ex improviso aquæ inundatione domi erant naufragi. Cum ergò quæ à magno Gregorio præclare facta fuerant miracula, totam gentem peruasissent, surgentes qui ad illam fluuij partem habitabant, ipsi & vxores & liberi publicè omnes magno fiunt Gregorio supplices, rogantes vt aliqua ratione ab insperatis eos malis liberaret. Dicebant enim Deum in eo posse omnia, quæ nulla ingenij humani ope possunt fieri. Nihil enim, quod consilium & vires humanæ præstare possint, ab eis esse prætermisum, vt qui lapidibus & aggeribus, & si quid aliud aduersus huiusmodi mala excogitari soleat, omnia fecerint, nec vi mali potuerint resistere: & vt magis ab ipsis moueretur ad misericordiam, rogârunt vt ipse videret calamitatem, & sciret, nec fieri quidem posse, vt transmutarent habitationem, & quod propter aquæ impetum eis mors omni ex parte ostentur.

Maturo suo iudicio in mutuâ eadē contendentibus fratres placat.

Iosue 3.

Exod. 14.

Cap. 12.

Lycus fluuius.

Habitatores Lyci rogant liberationes à sancto Dei.

tur. Cum ergo ad locum peruenisset, (nulla enim cunctatio eius ad bonum studium
 retardabat, nec vehiculo, nec equis, nec aliquo ex ijs, quæ ipsum possent portare, in-
 digens, sed baculo cuidam innitens, totum iter confecit, simul etiam cum viæ comi-
 tibus de spe altiore philosophans: inter quos semper in eo, quod erat principale, im-
 morans, præ maiori illo studio, reliqua omnia faciebat veluti transiens) * Postquam
 ergo ab ijs, qui eum deduxerant, ostensum est fluuij diuortium, & id ipsum, quod cer-
 nebatur, explicauit calamitatem, cum propter aquæ irruptionem eum locum pro-
 funda occupasset lacuna, hæc dicit ad eos, qui erant congregati: Non est hominum,
 o fratres, aquæ motum terminis circumscribere. Est solius diuinæ potentia hoc opus,
 aquæ motum intrâ terminos concludere. Sic enim dicit ad Deum Propheta: Termini-
 num posuisti, quem non transgredientur. Soli creata natura Domino est subiecta
 elementorum natura, in quibus locis collocata fuerit, in ijs semper permanens. Quo-
 niam ergo Deus est, qui aquis præscribit terminos, solus ille propria potestate potest
 huius fluuij compescere insolentia. Et diuiniore cogitatione veluti à Deo afflatus, &
 magna voce Christum ad id, quod erat propositum, adiutorem sibi adesse precatus,
 quem manu gestabat baculum, defigit in corrupto ripæ loco. Cum autem esset ter-
 ra in eo loco madefacta & mollis, facile profundum subiit, simul & ponderi baculi,
 & manui eius, qui figebat, cedens. Deinde cum Deum orasset, ut hoc esset veluti clau-
 strum & obstaculum aquarum violentiæ, rursus reuersus est, re ipsa ostendens, quic-
 quid ab illo fiebat, diuina fieri potestate. Statim enim haud ita longo post tempore,
 baculus quidem, actis in ripæ radicibus, arbor euasit: planta autem fluento posita est
 terminus, & in hodiernum vsque diem incolæ plantam & vident, & narrat. Quando
 enim imbribus & torrentibus Lycus ille pro more inundans, magna vi sonoque fer-
 tur rapidus, tunc cum inferiorem partem arboris in superficie leuiter aqua contige-
 rit, rursus tumescens in medium contrahitur alueum, & veluti qui extimescat appropin-
 quare arbori, curua vnda locum transgreditur. Talis magni Gregorij fuit virtus, vel
 potius Dei, qui in illo operabatur miracula, & veluti subiecta elementorum natura,
 ostensa est, prout ei videbatur, mutari eius iussis, adeo ut stagnum quidem sit mutatum
 in agrum frumentarium, aquæ autem lacunæ fuerint habitatae habitatoribus,
 baculo fidei iubente, & rutos eos futuros cauente. Nomen autem in hodiernum vsque
 diem arbori est baculus, Gregorij gratiæ & virtutis monimentum, quod in omni tem-
 pore seruetur ab incolis. Quodnam ex miraculis prophetis vis his opponere, & cum
 eis conferre? Dicamne Iordanis diuisionem, quam ouinæ pellis percussione fecit Eli-
 as ante ascensum, & postea Eliseus hæres, & pellis ouinæ, & spiritus? Sed in his, solis
 prophetis tempore, quo fuit opus, scisso fluento potuit transmitti Iordanes, tantum
 in se distracto fluento, quantum satis esset pedibus prophetarum, ut per siccum fun-
 dum transirent: sequentibus autem temporibus, & reliquis hominibus talis erat,
 qualis fuit antea. Ille autem Lycus ab insolenti & immoderato motu repulsus, no-
 uum in sempiternum Gregorij miraculum facit omni tempore, quod deinceps con-
 sequitur, talis manens, qualem magni illius viri fides fecit tempore miraculi. Scopus
 eorum, quæ fiebant, non erat, ut ij qui videbant, adducerentur in stuporem: sed ut ij,
 qui prope fluuium habitabant, seruariantur. Quamobrè ut par sit miraculum, (nam
 & prophetis, & imitatori prophetarum, ex æquo cessit aquæ natura) si tamen liberè
 dicendum est, quod ab eo factum est, antecellit humanitate, per quam firma & sta-
 bilis facta est salus accolarum, cum fluentum sic semel esset compressum, & in poste-
 rum mansisset immobile: quandoquidem cum per totam regionem peruaderent
 hæc miracula, quæ virtute fidei in Christum credita sunt fieri, cupiebant omnes esse
 illius fidei participes, quam talia testabantur miracula: Et in omnem partem pro-
 cedebat prædicatio, eratque verè efficax mysterium, & ad id quod bonum est, cre-
 scebat studium, constituto apud omnes sacerdotio, ut per omnia fides abundaret &
 cresceret.

De ijs, quæ in electione sancti Alexandri facta sunt.

Cap. 13.

Mittitur ad eum legatio ex quadam propria ciuitate, ut ad eos veniret, & per sa-
 cerdotium Ecclesiam eorum constitueret. Est autem ciuitati nomen Comana, in qua
 magnum Gregorium volebant hospitio excipi, publicè gratiam postulantes. Cum
 ergo apud eos fuisset, & aliquot dies degisset, & ijs quæ faciebat & loquebatur, eorum
 ad mysterium cupiditatem vehementius accendisset, cum tempus esset, ut eorum le-
 gatio

Semper in-
tentus re-
bus diuinis.

for. & post.
quàm ei, in-
quam, ab
ijs, qui.

Psal. 103.

Baculus fit
arbor & ar-
cet vim
aquarum.

4 Reg. 2.

Scopus mi-
raculorum
quis fit.

gatio ad finem perueniret, & crearetur aliquis pontifex eorum ecclesiæ, tunc quidem ex ijs, qui magistratus gerebant, quos nouerant, eos curiosè indagabant, qui dicendi facultate, & genere, & reliquis insignibus ornamentis videbantur excellere. Existimabant enim, quoniam hæc in magno quoque Gregorio inerant, nec eorum debere esse expertem eum, qui ad hanc perueniret gratiam. Cùm autem multiplicia essent eorum suffragia, & alij alium præponerent, expectabat magnus Gregorius, donec sibi diuinitus daretur aliquod consilium ad id, quod erat propositum: Et quomodo fertur Samuel non esse admiratus pulchritudinem & magnitudinē corporum in regis iudicio, sed animum requisissè regium, etiamsi sit in vili & contempto corpore: ita ille quoque despiciens studia eorum, qui ferebant suffragia, hoc vnum solum modo spectabat, num quis vel antequàm renunciatur, vitæ & virtutis exercendæ industria in moribus ferat sacerdotium. Cùm autem illi eos, quibus sua dederant suffragia, adducerent cum laudationibus, vnusquisque eum, qui à se eligebatur, proponens: ita verò etiam viliores, iubebat respicere, quo ad vitæ honestatem: fieri enim posse, vt etiã in his inueniatur aliquis, ijs, qui sunt illustriores, animæ diuitijs excellior: quidam ex ijs, qui præerant suffragijs, hanc magni Gregorij sententiã existimauit esse derisionem, si ex ijs, qui dicendi facultate, & dignitate, & manifesto vitæ testimonio prælati sunt alij, nullo admissio ad sacerdotium, ex illiberalibus & sordidis artificibus ad eam gratiam existimentur aliqui digniores: & simul ironicè loquens, ei ita dicit: Si hæc iubes, vt ij, qui sunt huiusmodi, & à tota ciuitate delecti, despiciantur, Alexandrum carbonarium voces licet ad sacerdotium: atque adeò, si videtur, in eum transcentes, ad ei danda suffragia conueniamus nos & tota ciuitas. Is quidem hæc loquutus est, de eius sententia detrahens, & per hoc ironicum suffragium, quòd nullum esset de prioribus iudicium, repræhendens.

Per hæc autem, quæ dicta sunt, venit illi magno in mentem, vt cogitaret, num non sine Dei numine facta sit Alexandri mentio ab ijs, qui ferebant suffragia: Et quis est, inquit, hic Alexander, cuius fecistis mentionem? Deindè cùm quidam ex ijs, qui aderant, eum, de quo facta erat mentio, per risum adduxissent, sordidis lacerisque pannis indutum, nec id toto corpore, & simul ipsa specie opus suum ostendentem, vt qui ex carbonum operatione, & manibus, & facie, & toto deniq; corpore esset sordidatus, reliquis quidem in medio stans Alexander risus fuit argumentum: perspicaci autem illi oculo magnam attulit admirationem id, quod fiebat & cernebatur, vir in extrema paupertate, & neglecto corpore se solum respiciens, & veluti ijs exultans, quòd erat ineruditus oculis ridiculum. Itã enim habebat, nec propter paupertatis necessitatem ad hanc vitam deuenerat: sed erat vir quidam philosophus, vt eius postea vita significauit, quæ erat cæteris excellior, adeò vt etiam peruenerit vsque ad martyrium, vt qui cursum per ignem consummauit. Latere autem est conatus, vel studuit potius, vt qui ea, cui à vulgo studetur, prosperitate longè esset superior, & mundi vitam nihili faciēs, excelliorem veramque vitam concupisceret, & vt propositum virtutis scopum facilius attingeret, conabatur latere. Talis autem cùm esset, vilissimo artificio tanquàm turpi aliqua persona occultatus, & alioquò cùm esset florenti ætate, temperantiæ infstituto periculosum ac lubricum existimabat, manifestare pulchritudinem corporis, naturæ prosperitati veluti insultans, & eam insectans. Sciebat enim eam præbuisse multis lapsus occasionem. Nè ergò aliquid eorum, quæ nollet, sibi eueniret, nec alienis oculis esset causa excitandi mali animi motus, ideò spontè assumit artem carbonariam: per quam & corpus ad virtutem exercebatur laboribus, & pulchritudo occultabatur sub carbonum sordibus: & simul quod ex suis redibat laboribus, id itã dispensabatur, vt seruiret præceptis.

Cùm eum itaq; abduxisset à cõcilio, & ex eo omnia esset accuratè sciscitatus, illum quidem dat suis domesticis, iubens ea, quæ oportebat, facere. Is autem cùm rursus venisset ad concilium, eos docebat, qui erant congregati, eis verba faciens de sacerdotio, & per ea describens vitam ex virtute agendam: Et in tali oratione tandiũ est immoratus, cœtum detinens, donec ijs impletis, quæ iusserat, ij qui ei ministrabant, aduenerunt, secum habentes Alexandrum, qui & lauacro sordes ex fuligine contractas abluerat, & magni Gregorij vestibus erat indutus: hæc enim eis facere iusserat. Cùm autem omnes essent conuersi ad Alexandrum, & ex eo, quod videbatur, essent in magnam adducti admirationem: Nihil vobis noui accidit, (dixit eis magister) si oculis decepti estis, & soli sensui eius, quod bonum est, iudicium permisistis. Veritatis enim

I. Reg. 16.

In Episcopo creando vide quid spectant.

Alexander carbonari adducitur.

Alexander cur factus sit carbonarius.

Alexander iste qualis fuerit in occulto.

Cap. 14.

S. Gregori-
us Alexan-
dri carbo-
nariū con-
secrat Epi-
scopum.

eorum quæ sunt, iudex incertus est sensus, qui per se arceat, nè profundum animi penetretur. Simul autem ipsi quoque veritatis & pietatis inimico demoni gratū erat, ut esset omninò ociosum vas electionis, quod occultabat ignoratio, nec is vir prodiret in medium, qui esset futurus euerfor illius potentia. Hæc cum dixisset, Deo virum offert per sacerdotium, cum eum pro more initiatum gratia consecrasset. Omnibusque nouum sacerdotem intuentibus, is rogatus ut verba faceret ad Ecclesiam, statim ab exordio ostēdit Alexander, non falsum de eo Gregorij fuisse iudicium. Erat enim ei plena sententia oratio, minus ornata dictionis floribus. Quo factum est, ut quidam elatus adolescens, qui ex Attica apud eos degebat, inornatam irriserit dictionem, quòd non esset Atticis exulta ornamentis. Quem dicunt fuisse correctum à quadam visione, cum vidisset columbarum gregem, quadam admirabili resurgentem pulchritudine, & quendam audisset dicentem, has esse Alexandri colūbas, quas ille irriserit.

Excelsus be-
ati viri ani-
mus.

Quidnam ex his quispiam miretur ante aliud? Non reueritum esse hunc virum suffragium magistratum, & non abreptum esse à testimonijs eorum, qui præcellerant: an potius esse miratum occultatas in carbonibus diuitias, quod statim recti iudicij statim est consequutum à Deo testimonium per visionē oratoris? Mihi enim vtrumque eorum in se tale esse videtur, ut ea inter se quidem contendant: inter omnia autem, quæ propter miraculum commemorantur, primas partes obtineant. Nam & eorum, qui præcellerant, restitisse desiderio, est immutabilis & excelsi animi argumentum, quo quæcunque in mundo apparebant, similiter ab eo cernebantur, cum & in id, quod est maius & illustrius, & in id, quod est abiectum & humile, æqualiter esset affectus: solam autem virtutem ceteris præponens, & solam, quæ in vitio agitur, vitam iudicans reiiciendam, nihili ducebat omnia, quæ in hac vita, vel in honore habentur, vel nihili penduntur. Quod tunc quoque fecisse ostenditur. Nam cum quereretur inuenire eum, qui Deo esset gratus, non fide dignum existimauit testimonium, si diuitias acceperat, & autoritates, & huius mundi splendores: quorum in bonorum catalogis nihil diuina enumerauit scriptura. Non est ergò hoc solum dignum laude & admiratione, quòd principum & virorum studia non admisit: sed etiam per ea, quæ deinceps sunt consequuta, ipse seipsum superauit. Qui enim solum indignum repulit suffragium, vsui autē non adiecit id quod deerat, malum quidem prohibuit, bonum autem non fecit. Qui autem præter id, quòd non est assensus deteriori, inuenit etiam id, quod bonum est & honestum, per vtraque perfecit id, quod bonum est, neque malo concedens aditum, & bonum producens in actum: adeò ut in vtrisque constiterit in ciuitatem huius magni viri beneficium, ut qui & quod per ignorantiam ab eis peccabatur, auerterit: & quod apud ipsos erat occultum, bonum per se declarauerit.

De Hebræis, & de ijs, quæ facta sunt in itinere.

Cap. 15.

Fraus duo-
rum Iudæorum.

Cum autem magno huic viro omnia successissent ex sententia, auxilio sancti spiritus non alienum fuerit id quoque narrare, quod in via ab eo obiter factum est, ut per omnia ostendatur gratia, quæ huic viro aderat. Quoniam enim erat omnibus manifestum, hoc ipsi esse curæ præ ceteris, ut omnia spectarent ad solatium egentium, siue ad lucrum respicientes duo quidam ex Hebræis, siue etiam aliqua reprehensionis macula eum adspargere cogitantes, ut quem esset facile decipere, obseruant eius reditum. Et vnus quidem ex ijs, qui videbatur esse mortuus, iacebat supinus in via publica: Alter autem miserabiliter eiulans propter eum, qui iacebat, imitabatur voces lamentantium, & magnum illum prætereuntem magna voce clamando vocabat, dicens hunc miserum subita morte correptum, nudum iacere, nec paratū esse aliquid, quo sepeliretur. Rogabat ergò magnum hunc virum, nè sancta eius anima ipsum despiceret: sed paupertatis motus misericordia, ex ijs quæ habebat, præberet vltimum amictum corpori iniiciendum. Ille quidem hæc & alia dicens, supplicabat. Hic verò nihil cunctatus, diploide, qua erat indutus, iniecta iacenti, perrexit vltra progredi in itinere. Postquam autem illo prætergresso soli erant, qui hæc aduersus eum fecerant, deceptor ille in risum mutata simulata lamentatione, iussit eum, qui iacebat, surgere, præ gaudio cachinnos edens ob lucrum eis ex fraude factum. Is autem in eodem erat, quo prius habitu, nihil audiens ex ijs, quæ dicebantur. Altero autem maiori voce vrente, & pede simul eum excitante, nihilo magis is, qui iacebat, neque vocem exaudijt, nec ictum sensit, sed in simili erat figura extensus. Simul enim ac iniecta est vestis,

Vltio cele-
stis eos
mox perfe-
quitur.

vestis, fuit mortuus, re vera morte functus, quam simulabat ad magnum illum decipiendum, adeò vt non fuerit homo deceptus, sed cuius causa fuerat ab eo data vestis, ad id vtilis fuerit ei, qui acceperat.

Si autem videtur triste hoc opus magni illius fidei, nè videatur cuiquam hoc alienum, ad magnum Petrum respicienti. Et enim ille non solum beneficijs ostēdit eam, quæ in se inerat, potestatem, eum qui erat claudus ab ortu, populo currentem ostēdit. ^{Actor. 3.} dens & salientem, aut umbra sui corporis curans ægrotos, quam transeunte Apostolo, per transeversum corporis Sol eis admouerat: sed etiam eo, quòd morte damnarit Ananiam, qui inhabitantem virtutem contempserat, vt, sicut opinor, illo metu adductum, quicquid in populo erat propensum ad contemnendum, hoc terribili exemplo ^{Attende q̄, fit periculo- sum vti frau- de aduersus spiritū san- ctum.} corrigeretur, nè eodem modo castigaretur. Meritò ergò Petri imitator, qui multis in beneficiando miraculis ostēdit virtutis magnitudinem, eum quoquē, qui aduersus sanctum spiritum fraude vti est conatus, effecit vt de se vera diceret. Oportet enim, vt existimo, euersorem mendacij etiam in deceptore mendacium traducere ad veritatem, vt per hoc omnibus esset euident, quòd quicquid ab illo dicebatur, erat veritas: & quòd id, quod vt verum acceperat, non erat falsum. Iudæi ergò, qui hoc modo illius magni virtutem ludificati fuerant, fuerunt alijs documento, nè audeant decipere cùm eos, qui id ausi fuerint, Deus puniat.

De adolescente, qui habebat spiritum.

Post hæc cùm aliquandò haberetur conuentus sub dio in quodam loco in ea regione, & admirarentur omnes eius doctrinam, quidam adolescens clamauit ad eos, qui aderant, Doctorem non hæc à se dicere, sed ei alium adstantem verba facere. Adducto autem puero, postquam dimissus esset conuentus, dicitur magnus dixisse ijs qui aderant, adolescentem non esse mundum à dæmone: & simul cùm sibi sustulisset velum, quod habebat in humeris, & id oris sui admouisset anhelitui, sic iniiecisse in adolescentem. Cùm hoc autem factum esset, conturbatum esse, & exclamasse adolescentem, & cecidisse, & se dilacerasse, & omnia passum esse, quæ patiuntur, qui sunt dæmoniaci. Deindè cùm sanctus ei manum imposuisset, & sedasset perturbationem, ab eo quidem euolasse dæmonium. Cùm ad se autem rediisset, non amplius dixisse, se videre eum, qui vnà cum sancto loquebatur. Est quidem certè hoc quoquē ex magnis illius miraculis, quòd non aliquo in curationibus adhibito artificio effecerit miracula: sed ad expellendos dæmones, & corporis sanandas ægritudines, suffecerit ex eius ore anhelitus, qui per linteam adhibebatur ægrotò. Sed omnia quidem illius miracula ordine persequi, longi fuerit operis & orationis, quæ plus requirat ocij. Si vnus autem, aut duorum, quæ de ipso dicuntur, fecero mentionem, finem imponam orationi.

De ea, quæ tum fuit, persecutione, & quemadmodum in montem profectus est magnus Gregorius.

Iam enim in omnem partem peruaserat diuina prædicatio, & omnes tam in ciuitate, quàm in ea, quæ circūcirca sita est, regione ad piam rectamque dogmatis fidem erant traducti, altariaque & templa, & quæ fuerant in eis simulacra, erant euersa: expurgata autem erat humana vita ab idolorum inquinamentis, extinctusque erat sceleratus nidus sacrificiorum, ablutusque cruor ex altaribus, & sordes casorum animantium: omnes autem in omni loco in Christi nomine templa erigebant oratoria: cùm Romanorum, qui tunc erat, Imperatorem subijt ira & inuidia, propterea quòd falsa quidem eius patria neglectui esset superstitio: augebatur autem mysterium Christianorū, & per totum orbem terræ multiplicabatur Ecclesia, per eos, qui semper verbo adijciebantur, crescens in magnitudinem. Et cùm existimasset fieri posse, vt diuinæ virtuti sua resisteret acerbitas, & reprimeret quidem mysterij prædicationem, dissolueret autem coetus Ecclesiarum, rursus autem traduceret ad simulacra eos, qui ad verbum processerant, ad gentium Præsides mittit edicta, terribiles supplicij minas in eos statuens, nisi omnibus probris, contumelijs & cruciatibus afficerent eos, qui nomen Christi adorabant, & terrore & cruciatibus eos rursus adducerēt ad patrium cultum dæmonum. ^{Edicta acerba Imperatoris in Christianos.}

Postquam autem magistratibus est annunciatum hoc sceleratum & impium edictum, cùm per totum peruassent Imperium, qui ad hoc erant constituti à Tyrânica crudelitate: & in gentem Ponticam is obtinebat dominatum, cui ad sceleratum desiderium

siderium non deerat summa potestas, vt qui feritatem & acerbiteriam haberet ingeratam, & odium in eos, qui verbo crediderant, ab eo publicè profcribitur, oportere vel fidem abiurare, vel omne genus supplicij & mortibus affici. Neque aliud tunc publicum aut priuatum quicquam agebatur, aut vllum ponebatur studium ab ijs, qui tractabant publica, quam vt obsiderent & punirent eos, qui fidem sequebantur. Erant autem non solum minæ verborum terribiles, sed cum ijs varius apparatus suppliciorum, nullū non afferebat stuporem, & antequam veniret ad periculum, metum incutiebat hominibus enses, & ignis, & bestia, & fossa, & instrumenta ad torquendum membra accommodata, & ferrea in igne cathedra, & ligna erecta, in quibus eorum extensa, qui persistebant, corpora, proiectis horrendis laniabantur vngulis, & alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inuenta ab eis excogitabantur. Vnumque erat studium ijs, qui hanc habebant potestatem, vt nullus eo posset ostendi scelere superior. Alij quidem deferebant, alij verò indicabant, alij verò scrutabantur eos, qui erant absconsi. Alij inuadebant eos, qui fugiebant. Alij autem iniectis oculis in facultates fidelium, vt rebus eorum potirentur, prætexitu pietatis ac religionis eos, qui fidem amplectebantur, expellebant.

Ita faciunt
hodie heretici.

Erat autem in gente confusio, perplexaque & inexplicabilis animi dubitatio, cum essent omnes inter se suspecti, cum nec in tanto terrore maneret filiorum in parentes beneficentia, neque paternæ curæ à natura ingenerata fidelitas remaneret parentibus in filios. In varios autem ritus religionis inter se scindebantur genera. Et filius, qui erat gentilis, erat proditor parentum fidelium: & filium, qui crediderat, pater incredulus accusabat. Et frater, qui erat ex eadem essentia, pugnabat cum natura, sanctum esse existimans, sumere poenas de consanguineo, si pietatē amplecteretur. Hinc plenæ quidem erant solitudines ijs, qui expellebantur: habitatoribus autem ædes erant inanes: multa autem publica habitacula ad vsum carcerum derferuebant. Non poterant enim carceres capere eorum multitudinem, qui propter fidem puniebantur: Foraque omnia, & omnes publici & priuati cœtus, pro consueta lætitia calamitatis erant talis participes, cum alij quidem attraherentur, alij verò abducerentur, alij propter ea, quæ fiebant, vel riderent, vel flerent. Non erat infantium misericordia, non honor canicie, non virtutis reuerentia, sed perinde atque in captiuitate dedebatur omnis ætas inimicis fidei. Ne sceminis quidem dabat naturalis generis imbecillitas, vt remotæ essent ab his ærumnis: sed vna in omnes æqualis erat lex crudelitatis, eos adducens, qui erant alieni ab idolis, naturam non discernens.

Cap. 18.
Fugiendum
in persecutione.

Cum tunc ergo imbecillitatem naturæ vidisset vir ille magnus, vt potè quod multi non possent pro pietate vsque ad mortem decertare, consuluit Ecclesiæ, vt parum percederet terribili irruptioni, dicens esse melius, fugiendo suas conseruare animas, quam si starent in acie certaminū, essent ordinū fidei desertores: & vt maximè persuasum esset hominibus, nullum animæ afferre periculum, si fuga fidem seruarent, suo exemplo eis consulit, vt secederent, ipse ante alios cedens vehementi periculo. Simul autem ijs quoque, penes quos erat potestas, hoc maximo erat studio, vt illo tanquam duce exercitū expugnato, omnem fidei aciem frangerent & dissoluerent. Et ideo inimici magnoperè studebant, vt ille in eorum veniret potestatem. Ipse autem cum desertum quendam collem occupasset, secum habens eum, qui ex ædituo adductus

Latitat vir
Dei cū suo
Diacono in
quadā valle.

fuerat ad fidem ab initio, iam Diaconatus gratiæ inferuentem: cum autem qui persequerentur, magna multitudine sequerentur eorum vestigia, à quopiam eis ostenso loco, in quo abscondebatur, alij quidem vallem colli subiectam circumseptam custodiebant, vt ei nulla ex parte liceret effugere, si ad hoc esset conuersus: Alij autem cum in montem accessissent, per omnem partem scrutantes, iam magno illi viro conspecti fuerant, recta ad ipsum currentes. Ille autem cum iussisset ei, qui erat cum ipso, vt staret certa & solida in Deum fiducia, & ei suam crederet salutem, manus tendens ad orationem, & nec etiam si propè fuerint inimici, metu excutiatur fides. Præcepti autem exemplum se præbuit Diacono, fixo & stabili oculo cælum intuens, extensis manibus recta figura. Et hi quidem in his erant: Illi autem cum ad eos accurrissent, & omnem locum diligenter inspexissent, omnemque in rupe stationem, & omnem rupis accessum, & omnem à lacuna effectam cōcauitatem diligentissimè scrutati essent, rursus in vallem redeunt, quasi metu eorum, qui scrutabantur, ipse in fugam conuersus incidisset in manus eorum, qui circumsidebant. Postquam ergo nec ab his est inuentus, nec erat apud illos, qui locum adspexerat, in quo magnus ille degebat, signis descripsit

Execrati
persequen-
tores con-
spiciunt du-
as arbores,
eorū loco.

descripsit eum, in quo affirmabant quæsitores, se neminem vidisse, nisi solas duas arbores, à se inuicem parùm distantes. Cùm autem secessissent qui quærebant, relictus index cùm illum magnū offendisset in oratione, & eum qui cum ipso erat, & diuinum cognouisset præsidium, per quod illi eis visi sunt arbores, accidit ad eius pedes, & verbo credit: & qui paulò antè fuerat persecutor, fit vnus ex fugientibus.

Ijs ergò longo tempore manentibus in solitudine, (bellum enim inualefcebat aduersùs fidem) & grauius furente præside in eos, qui ad verbum pietatis accedebant, & omnibus in fugam conuersis, quoniam nulla spes relicta erat, fore vt magnus Gregorius veniret in manus persecutorum, tunc omni sua rabie & acerbitate conuersa in reliquos, vbiquè per gentè scrutabantur omnes similiter, viros, mulieres & pueros, quibus Christi nomen erat venerabile, eosque trahebant in ciuitatem, & replebant carceres, pro alio scelere intentantes eis crimen pietatis, adeò vt nulli ex rebus publicis tunc vacarent iudicia, nisi huic tantùm, quòd ijs, qui tunc imperium obtinebant, erat curæ, vt omnes contumelias & omnia tormenta, quæ excogitari poterant, in eos inferrent, qui fidem retinebant. Quo quidem tempore fuit omnibus longè euidentissimum, magnum illum virum nihil consuluisse sine Dei numine. Nam cùm se per fugam populo conseruasset, erat commune auxilium omnibus, qui pro fide decerabant. Sicut enim de Mose audimus, quòd ab Amalecitarum acie procùl remotus, per orationem ijs, qui erant sui generis, dabat vires aduersùs inimicos: eodem modo ille quoque animæ oculo intuens ea, quæ videbantur, diuinum inuocabat auxilium ijs, qui decertabant pro fidei confessione.

Oratio iusti quantum valeat.

Exod. 17.

De visione, quæ facta est in monte, & de martyrio sancti Troadij.

Cumque aliquandò vnà cum ijs, qui cum eo erant, pro more Deum oraret, repente angore & animi perturbatione plenus, apertè præ se tulit ijs, qui aderant, à se spectaculum videri alienum, seque id ægrè ferre, auresque obstruere, tanquam sono aliquo ad eum perueniente: & non exiguo interiecto interuallo, cùm toto tempore, quòd intercessit, inflexibilis mansisset & immobilis, tanquam propositum spectaculum bonum esset exitum assecutum, ad suam redijt consuetudinem, & clara voce Deum laudauit, hymnum victoriæ & gratijs agendis appositum pronuncians, quem sæpè audimus Dauid dicentem in Psalmodia: Benedictus Deus, qui non dedit nos in captiōnem dentibus eorum. Ijs autem admirantibus, & vt ex eo scirent, rogantibus quodnam fuerit hoc spectaculum, quòd eius oculis subiectum est, fertur dixisse, se illo tempore magnum vidisse casum, prostrato diabolo à quodam adolescente in certamine pro pietate. Ijs autem quòd dicebatur, adhuc ignoratibus, narrat eis apertitùs, quòd illa hora quidam nobilis adolescens, maiori fretus auxilio, magnis sudoribus pro fide decertauit, à licitoribus productus ad præsidem. Nomen quoque adiecit, eum nominans Troadium, & quòd post multa, quæ fortiter tulit, tormēta, fuit martyrij corona redimitus. Auditione autem obstupefactus Diaconus, neque audens non credere ei, quòd dicebatur, & simul credens esse maius, quam vt cadat in humanam naturam, vt qui procùl erat à ciuitate, cùm nemo ei renunciasset, dicat ijs, qui cum eo sunt ea, quæ fiunt, perindè ac si interesset, supplex rogat magistrum, vt sibi permittatur ea cernere oculis, & nè ab eo prohibeatur, nè veniat ad loca ipsa, in quibus factum est miraculum. Cùm is autem diceret, esse pertimescendum adesse in medio eorum, qui occidunt, sæpeque diaboli peruersitate accidere aliquid, quòd nollemus, Diaconus dixit, se confidere auxilio eius orationum, hac apud eum voce vrens: Tu me Deo commendes, nec me vllus insequetur metus inimicorum. Cùm is autem per orationem veluti socium cum eo misisset diuinum auxilium, confidens viam confecit, ad nullum se conuertens ex ijs, qui occurrebant.

Psal. 123.

Vidit in spiritu certamine S. Troadij martyris

De balneo, & de demone, qui in ipso habebat potestatem.

Cùm autem vesperè ingressus esset ciuitatem, & lassus esset ex itinere, necessè esse duxit, corpus lauacro reficere. In eo autem loco dominatum obtinebat quidam demon homicida, versans in lauacro, cuius vis exitialis post tenebras operabatur in eos, qui accedebant. Ea de causa post occasum solis non patebat ad id aditus, neque id exercebatur. Ad quòd cùm accessisset, rogabat eum, qui illi præerat, vt id ei aperiret, & non ei inuideret balnei visum, quò se recrearet. Cùm is autem testaretur, nullum ex ijs, qui illa hora ausi sunt aquam ingredi, suis redijisse pedibus, sed demōnem omnes vesperè superasse, multosque ob ignoratōnem passos esse grauissima, quos pro sperata

ſperata recreatione exceperunt lamentationes, eiulatus & ſepulcra. Cùm hæc referret, & quæ ſunt huiusmodi, ille nihil de ſuo remiſit deſiderio: ſed inſtabat omninò cogens, vt cum intromitteret. Ille autem ſatis ſe lucrifacere exiſtimans, ſi non cum hoſpitis ignoratione vnà veniret in periculum, cùm ei dediſſet clauem, prociꝝ recedit à balneo. Poſtquàm autem nudatus fuit intus, multiplices terrores & variæ obſtupefaciendi cauſæ adornabantur à dæmonio, nempe omnis generis viſa, oſtendentia naturam igne & fumo mixtam, & quæ in forma hominum & ferarum in oculis incurrebant, in auribus reſonabant, anhelitui appropinquant, & in orbem circa corpus effundebantur. Ille verò ſe ſignaculo Crucis muniens, & Chriſti nomen inuocans, domos peruafit illæſus. Interius autem progreſſus, in grauiora incidit ſpectacula, in grauiorem adſpectum transformato dæmonio. Nam & ſimul terramotu domum exiſtimabat concuti, & perruptum ſolum nudam flammam oſtendere inferius, & ſcintillas ex aquis emitti flammeas. Rurſusque ei arma itidè ſuere ſignaculum & Chriſti nomen. Et quod per magiſtri preces ferebatur auxilium, diſcutiebat quæ videbantur & fiebant terribilia. Aqua autem recreatus, cùm properaret egredi, rursus prohibebatur, fores opponente dæmonio. Sed hoc quoque rursus impedimentum, pari rursus virtute eſt ſolutum, foribus ſignaculo cedentibus. Poſtquàm autem ei omnia proceſſerunt ex ſententia, dicitur dæmoniũ voce humana ad eum exclamãſſe, nè ſibi vim illam attribueret, per quam effugit exitium. Vox enim, quæ eum cõmendauit, ei qui cuſtodiebat, præſtitit, vt minimè læderetur. Hoc ergò modo conſeruatus, magnam attulit admirationẽ ijs, qui loco præerant, cùm nullus apparuiſſet viuus ex ijs, qui illa hora aquam auſi eſſent ingredi.

Poſtquàm autem ei quiſnam eſſet narrauit, & quæ in ciuitate fortiter geſta erant à martyribus, cognouit eo modo ſe habuiſſe, quo magnus ille in ſolitudine degens prius narrauerat, cùm cæteris, quæ de ipſo narrauit & eius miraculis, adieciſſet quæ vidit, & quæ audivit, & quomodò ipſa in ſe experientia didiciſſet virtutẽ fidei magni Gregorij, cui tulit teſtimonium dæmonium: reuertitur ad magiſtrum ſuum, tam ſuis æqualibus, quàm poſteris relinquens commune monumentum, vt per ſacerdotes vnuiquiſque ſeipſum Deo cõmendat: & nunc eſt quidem per vniverſam Eccleſiam, præcipuè autem apud illos, ea vox monumentum auxiliij, quod ei datum eſt à Gregorio.

Cùm autem diuina ope ſoluta eſſet illa Tyrannis, & humanam vitam pax rursus excepiſſet, per quam erat omnibus liberũ rebus diuinis dare operam, rursus deſcendens in ciuitatem, & totam in orbem circueiens regionem, ijs, qui erant vbique, populis magnam fecit acceſſionem in Deum ſtudij & pietatis, ſtatuens vt pro ijs, qui pro fide decertarant, agerentur feſti dies & celebres conuentus. Cumque alius alibi corpora martyrum accepiſſent, quotannis, finita annui orbis conuerſione, conuenientes exultabant, diem feſtum celebrantes in honorem martyrum. Eſt certè hoc quoque argumentum magnæ eius ſapientiæ, quòd cùm omne ſimul hominum genus ſuo tempore ad vitam communem componeret, veluti quidam auriga naturam regens, & frenis Dei cognitionis eos iugo ſubiungens, concedebat vt ſub iugo fidei lætitia exilirent ſubditi. Cùm enim animaduertiſſet, quòd propter corporeas delectationes in idolorum errore permaneret puerile vulgus & ineruditum, vt interim in eo, quod eſt præcipuum, nempe in Deum, ſe rectè gererent: pro illis inanibus ſuperſtitionis ritibus, permittit eis, vt in ſanctorũ Martyrum memorijs ſe exhilararent, exultantesque oblectarent, vtpotè quòd procedente tempore futurum erat, vt vita traduceretur ad id, quod eſt honeſtius & præſtantius, & fides eos ad id deduceret, quod quidem iam in multis rectè ſucceſſit, omni delectatione ab ijs, quæ ſunt iucunda corpori, traducta ad genus lætitiæ ſpiritualis.

Hoc autem modo ſe gerens in Eccleſia, & omni ſtudio incumbens, vt ante ſuum obitum eſt vita exceſſum, videret omnes ad fidem ſalutarem traductos à ſimulacris, poſtquàm cognouit ſuum inſtare obitum, totam circueiſſet regionem & ciuitatem eſt perſcrutatus, cupiens ſcire, an eſſent aliqui relictĩ extra fidem. Vbi autè cognouit omnes, qui permanſerant in antiquo errore, non eſſe plures, quàm ſeptemdecim, dicit hoc quidem eſſe dolendum, ad Deum reſpiciens, quòd aliquid deſit ad plenitudinem eorum, qui ſeruantur: Veruntamen iure magnas eſſe agendas gratias, quòd ſuo in Eccleſia ſucceſſori tot relinquit ſimulacrorum cultores, quot ipſe accepit Chriſtianos. Cùm autem precatus eſſet, vt & qui iam crediderant, creſcerent in perfectionem, &

in fide-

Signo Crucis ſe muniens, omnia dæmonum tercula-menta con-temnit diaconus.

Feſti dies martyrum, in primitiua eccleſia, à ſanctis Patribus inſtituti.

Sub obitum eſt vita exceſſum videret omnes ad fidem ſalutarem traductos à ſimulacris, poſtquàm cognouit ſuum inſtare obitum, totam circueiſſet regionem & ciuitatem eſt perſcrutatus, cupiens ſcire, an eſſent aliqui relictĩ extra fidem.

Feliciffimè ad cælos euolat.

infideles conuerterentur, ita ab humana vita migravit ad Deum, mandans suis necessarijs, vt nullum proprium locum ei compararent ad sepulturam. Si enim viuus non sustinuit vocari alicuius loci dominus, sed inquilinus vixit in alienis, neque post mortem pudebit eum esse inquilinum. Sed hoc, inquit, narretur posteris, quod Gregorius neque viuus alicuius loci possessor est nominatus, & post mortem fuit inquilinus alienorum sepulcrorum, seipsum seiuungens ab omni in terra possessione, adeo vt nec in proprio quidem loco voluerit sepeliri. Solam enim eam possessionem iudicauit preciosam, quæ in se auaritiæ non suscipit vestigium. Repentinam autem totius gentis traductionem à gentili vanitate ad veritatis agnitionem nemo miretur, qui hanc legerit orationem, respiciens œconomiam, per quam facta est tanta mutatio eorum, qui traducti sunt à falso ad veritatem. Nam quod factum est in primis temporibus eius sacerdotij, quod ad reliqua miracula festinans præterijt oratio, nunc assumens narrabo.

More Saluatoris inquilinus in sepulcro sepelitur alieno.

De die festo, qui agebatur in ciuitate, & de peste, quæ irruit.

Erat quidam dies festus publicus in ciuitate, qui more patrio agebatur cuidam dæmoni ex ijs, qui erant in regione. Ad eum tota ferè gens confluxerat, tota regione vnà festum agente cum ciuitate. Erat autem theatrum plenum ijs, qui concurrerant, & effundebatur vndiquè super sedes, multitudo eorum, qui confluxerant. Cumque omnes circa spectacula & acroamata ad orchestram adspicere magnoperè cuperèt, erat scena plena tumultu. Frustraque fuit præstigiatoribus miraculorum suorum ostentatio, cum tumultus eorum, qui arctè comprimebantur, non solum musicæ vsu interruperet, sed nec præstigiatoribus sua ostendere permitteret. Quo quidem tempore à toto populo communis hæc vox erupit, dæmonē inuocantium, cui hunc diem festum agebant, & rogantium, vt eis ab illo latius præberetur spatium. Postquam autem omnibus inter se colloquentibus, vox in altum efferebatur, & videbatur totius ciuitatis tanquam vnus oris esse oratio, quæ has preces offerebat dæmoni: Erat autem precatio, vt iisdem verbis à me dicitur: Iuppiter, fac nobis locum: cum audisset magnus ille vocem eorum, qui dæmonem nominatum inuocabant, à quo petebant, vt ciuitati fieret latum spatium, dicit ad eos, misso quodam ex ijs qui adstant, mox eis esse dandum latius spatium, quam precabantur. Hac autem voce tanquam tristi prolata sententia, publicam illam celebritatem mox pestis excipit, & in choris statim admixta est lamentatio, adeo vt oblectationes cõuerterentur in luctus & calamitates, pro tibijs, & quæ ad numerum fiebant, saltationibus & plausibus, lugubri carmine assiduè ciuitatem excipiente. Nam cum morbus spe citius ingruisset hominibus, is peruadebat, ignis instar domos depascens. Quo factum est, vt impleantur quidem templa ijs, qui morbo interiebant, qui quidem spe curationis ad ea confugiebant: pleni quoque essent riui, & fontes, & putei ijs qui præ morbi vehementia maiori siti ardebant, quam vt aqua, quæ erat in profundo, flammam eorum extingueret, cum ij, quos semel is morbus inuasisset, & post & ante aquæ potum similiter se haberent: multi autem sua sponte fugerent ad sepulcra: quoniam ij qui erant superstitis, ad eos sepeliendos minimè sufficiebant: esset autem non inopinata mali hominibus irruptio: sed cum domui interituræ quoddam visum apparuisset, ita consequeretur interitus.

Sæuissima pestis inuadit insolentem populum.

Postquam ergo fuit manifesta omnibus morbi causa, nempe quod inuocatum ab eis dæmonium, stultorum votum malignè implebat, hanc sceleratam spatij latitudinem morbo ciuitati afferens: eo quidem tempore magnum Gregorium supplices adeunt, rogantes vt vim morbi compesceret per eum, quem ipse cognoscebat & predicabat, Deum, quem solum verè fatebantur esse Deum, & habere in omnes potestatem. Nam cum illud visum ante futurum domus interitum appareret, & desperationem vitæ protinus afferret, vna periclitantibus erat via salutis, si intrā illam domum magnus fuisset Gregorius, & precibus propulsasset morbum, qui domui imminebat. Cum autem per eos, qui primi hanc erant salutem consecuti, velox fama per omnes peruasisset, cessarunt omnia, quæ prius ab eis magno studio procurabantur, oraculorum seiscitationes, piacula, & apud simulacra diuturnæ supplicationes, adspicientibus omnibus ad magnum sacerdotem, & vnoquoque eum ad se trahente ad salutem totius generis. Erat autem ei merces ab ijs, qui seruabantur, eorum salus animarum. Nam cum tali experientia manifestata esset pietas sacerdotis, nulla erat amplius dilatio, quo minùs mysterio assentirentur ij, qui virtutem fidei docebantur.

Eam pestem precibus pellicuit vir sanctus.

Sic fuit illis hominibus morbus salute præstantior. Qui enim cum sani essent ad mysterij doctrinam excipiendam infirma erant animi intelligentia, corporis morbo fuerunt confirmati ad fidem. Et sic confutato errore idolorum, traducti sunt omnes ad nomen Christi: alij quidem per morbum, qui inuaserat, deducti ad veritatem: alij verò, vt à peste seruarentur, fidem in Christum assumentes, tanquam propugnaculum. Sunt autem etiam alia in hodiernum vsque diem memoriæ mandata miracula: quæ quidem auribus parentes non credentibus, nè ij lædantur, qui quod in rerum, quæ dicuntur, magnitudine verum est, falsum esse putant, ijs, quæ scripta sunt, non adiecimus.

MARTYRIUM FELICIS PRESBYTERI, IRE-
NAEI DIACONI, MUSTIOLAE NOBILISSIMAE MA-
trone & aliorum: vt habetur in egregijs MS. libris: sed in gratiam
Lectoris F. Laur. Surius mutauit stylum.

Iulij 3.



Felix confi-
 mat Chri-
 stianos ad-
 uersum per-
 secutionē.
 Plal. 89.

FEMPORIBVS Aureliani Imperatoris sæua extitit per-
 secutio Christianorum: cumque ei nunciatum esset, in ci-
 uitate Tusciæ, quæ post ethnicismum illustris fuit, Christia-
 na religione initiatos fiorere, ad eò incensus est, vt Turgi-
 um vicarium, præfectoria ornatum dignitate, eò miserit
 ad Christianos discutiendos. Veniens igitur Turgius ad
 Faliscos, iussit accuratè inquire, num quis posset reperiri
 Christianus, repertumque sine dilatione coram se sisti, ca-
 pitalem sententiam excepturum. Itaque facta inquisitione,
 repertus est Felix Christianus. Is vt audiuit venisse eò
 manum persecutorum, conuocauit Christianos ad se,
 cosque omnes confirmans, ait: Patres, fratres & filij mei, non vos perturbet ista ca-
 ligo, quæ sanè exigua est: porrò sempiternæ illæ inferorum tenebræ cauendæ sunt.
 State ergò viriliter & pugnatè: quia melior est dies vna in atrijs Domini super millia.
 Erat tum aulicus quidam, qui beati Felicis nomen detulit ad Turgium, dicens in
 agro Faliscorum esse presbyterum quendam benè diuitem, qui populum doceat,
 relictis templis deorum, accedere ad Christum, & baptizari. Id vt audiuit Turgius,
 misit milites: qui compræhensum Felicem, illo iubente, in publicam custodiam
 coniecerunt.

Altera die præcepit sibi in Faliscorum ciuitate tribunal parari, beatumque Felicem
 adduci. Eum autem sic interrogauit: Quod tibi nomen est? Ille respondit: Felix vo-
 cor. Dicit ei Turgius: Quem militia vel honoris locum obtines? Respondit Felix:
 Tametsi peccator sum, at Christi tamen presbyter sum. Turgius dixit: Cur diuersis in
 locis cogis conuenticula, docesque populum contemnere deos, nec immolare illis,
 vt habet antiqua consuetudo, & Principes imperant? Felix respondit: Quæ verò est
 vita nostra, nisi vt prædicemus Dominum nostrum Iesum Christum, & abstrahamus
 populum à spurcitiæ idolorum, vt possint vita frui sempiterna? Turgius dixit: Et quæ
 est vita æterna? Felix presbyter respondit: Vt timeatur & colatur Deus pater, & Do-
 minus Iesus Christus, & spiritus sanctus. Turgius dixit: Recede ab infelici Deo tuo,
 & pare præceptis dominorum Augustorum. Felix respondit: Quantum quidem ad
 nos attinet, vtinam mereamur parere Christo, & eius nomen inuocare. Tum iratus
 Turgius, iussit os eius lapide contundi, dicens ministris: Os istud conterite, quo po-
 pulos seducit. Diù autem illis cædentibus, emisit spiritum: corpus verò eius Turgius
 voluit in plateam projici, quod collegit Irenæus diaconus, & sepeliuit iuxta muros
 Sutrij (Author habet, Sutrinæ ciuitatis) nono Calendas Iulij.

Os eius la-
 pide cædi-
 tur.
 Reddit spi-
 ritum.

* MS. habet
 Clusina ci-
 uitatem.

Mustiola
 consolatur
 captiuos.

Quod vbi rescituit Turgius, iussit teneri Irenæum diaconum, profectusque Clu-
 sium Tusciæ ciuitatem, vinctum catenis ferreis ante rhedam suam nudis eum pedi-
 bus ire compulit. Postquam autem venit Clusium, multos dies illic hæsit, Irenæum
 verò diaconum in carcerem coniecit, cœpitque inquirere in Christianos. Ea re diù
 agitata, Mustiola matrona Christianissima vt audiuit Christianos multos carceribus
 teneri, noctibus veniebat, & dans pecuniam custodibus, intrò admissa, consolabatur
 eos, lauabatque pedes eorum: eos verò, quos vincula fauciãrant, vngebat, cunctisque
 alimenta & vestes suppeditabat. Sed quia in tenebris lumen abscondi non potest,

Tor-

Torquatus quidam ad Turgitum veniens, ita dixit: Matrōna nobilissima, Claudij Imperatoris consobrīna, Mustiola nomine, non cessat in custodia diu noctūque reos suis sermonibus confirmare. Furorē igitur percitus Turgius, cum audisset eam cognatam esse Claudij Imperatoris, misit homines suos, qui eam ipsi præsenterent. Visa autem ea, mirabatur eius pulchritudinem, praecepitque sine iniuria, immo etiam admodum honorifice reduci eam in domum suam. Deinde ad illam veniens, de eius genere sciscitabatur. Respondit ei Mustiola, spiritu feruens: Nostra nobilitas non multa generis claritudine, sed sanctorum Christianorum humilitate, aestimatur. Dicit ei Turgius: Cur aliter respondes, quam Maiores tui consueverunt? S. Mustiola respondit: Illi ignorantes verum Deum, suadente diabolo, perierunt: me verò humilem dignatus est Dominus noster Iesus Christus ad caelestia regna vocare: neque me solam, sed & omnes, qui spem suam in illo reponunt. Turgius dixit: Vtere consilio meo, & noli perdere nobilissimos natales tuos. S. Mustiola respondit: Si scires donum Domini nostri Iesu Christi, non te sineres priuari lumine aeterno. Turgius ait: Ecquodnam est lumen aeternum? Mustiola respondit: Spiritus & virtus. Turgius dixit: Quanam tua haec amentia est, ut ad victos crebro ingrediaris, eorumque cupide fruaris amicitia? S. Mustiola respondit: Id equidem facio propter amorem Domini nostri Iesu Christi, pro cuius amore etiam illi carceris vincula perferunt. Turgius ait: Depone hanc amentiam, & audi me, nec velis praecepta principum aut negligere, aut irridere. Beata Mustiola dixit: Quae sunt praecepta principum? Turgius ait: Ut sacrifices dijs, & viuas, fruarisque opibus tuis. S. Mustiola respondit: Planè stultè blasphemasti. Commotus Turgius, iussit sanctos omnes, qui in carcere erant, capite truncari: beatum autem Irenaeum diaconum in conspectu Mustiolae in eculo suspendi, sub praconis voce dicens ei: Sacrifica dijs. Irenaeus ait: Ut video, mente captus es, ut dicas ea, quae non conveniant. Turgius furore inflammatus, iussit vnguibus radi latera eius, & flamas admoueri. Irenaeus clamans, dixit: Gratias ago tibi Iesu Christe, quòd me reor admitti in conspectu tuum. Atque haec dicens, cernere beata Mustiola, expiravit. Obitus eius.

Tum verò beata Mustiola dixit ad Turgium: Miser, quid ita trucidas homines innocentes? sed illi quid profiscuntur ad gloriam sempiternam, tu verò sedē habebis in igne aeterno. Audiens hoc Turgius, scripto eam condemnauit, praecepitque coram se plumbatis eam cedi: quod eouique, continuatum est, donec deficeret. Itaque migravit ad Dominum quinto Nonas Iulij, corpusque eius collegit seruus Dei Marcus, & apud Clusinae urbis muros condidit: ubi vigent orationes eius usque in hodiernum diem.

Mustiola
Claudij Im-
peratoris
consobrīna.

Reducitur
à tribunali
domū suā.

Irenaei cru-
ciatus.

Obitus eius.

Item S. Mu-
stiola.

DE S. ANATOLIO EPISCOPO LAODI- CENSI, EX HISTORIA ECCLESIASTICA

*Eusebij Casarensis Lib. 7. cap. 26. interprete Iohanne
Christophorsono Anglo.*



LAODICENSIS ecclesia gubernationem post Socra-
tem Eusebius obtinuit, ex vrbe Alexandria oriundus. ^{3. Iulij.}
Causa autem eius à patria profectio, erat controuersia ^{Eusebius}
illa, de Paulo Samosateno suscepta: cuius gratia in Syri- ^{Episcopus}
am profectus, ab illis, qui ad religionē Christi propagan- ^{Laodicēsis.}
dam omne suum studium conferebant, nē domum re-
uerteretur, prohibitus fuit. qui quidem (sicut ex verbis
Dionysij, de eo à nobis supra citatis, facile licet cognosce-
re) praeter ceteris praestantibus nostri temporis viris, tanquam
preciosus quidam pietatis thesaurus extitit.

Anatolius, genere etiam Alexandrinus, post illum cre-
atur Episcopus, bonus, ut aiunt, boni viri successor. Qui cum ob eloquentiam, tum ob ^{Anatolij}
doctrinam humaniorem & cognitionem Philosophiae, inter homines nostri tēporis, ^{multa do-}
qui erant spectatissimi, facile principem locum obtinuit: quippe in Arithmetica, Ge- ^{ctrina.}
ometria, Astronomia & disserendi facultate, in contemplatione & perspicientia na-
ture, in oratorum quoque disciplinis venerat ad summum. quarum rerum gratia, fama
est, eius Alexandriae cum illi ludo, in quo Aristotelis doctrina docebatur, magistrum
praefecisse. Ac tametsi in obsidione Alexandriae, cum ibi magna esset frumētī inopia, ^{Alexandriae}
alias ^{obsidio.}

alias præclare ab eo res gestas penè infinitas commemorant, vtpote qui singularem dignitatis prærogatiuam præ cæteris magistratibus ab omnibus ciuibus adeptus fuisset, tamen exempli causa, hanc vnam solum hoc loco citabo.

Fertur, cum frumentum illis diu obsessis deesset, ita vt fames, quæ in vrbe grassabatur, multo magis intolerabilis, quam hostiũ impetus, qui iam extrinsecus premebat, existeret: hunc, quem dico, cum huic interesset calamitati, tale quoddam remedium illis proinde inuenisse. Cum altera pars ciuitatis cum exercitu Romano societatem belli gerendi coiuisset, & propterea obsidione non vexaretur, Eusebium forte inter eos, qui minimè erant obsessi, versantem (adhuc enim ibi habitabat, inque Syriam minimè demigrauerat) & magnum decus nomenque celebre etiam à Duce Romani exercitus consecutum, de his, qui fame illius obsidionis tempore interierunt, per internuncium Anatolius certiore facit. Eusebium autem, cum hoc intelligeret, à Duce maximi beneficij loco postulasse, vt illis, qui vellent se ab hostibus ex vrbe ad eum sua sponte recipere, vitam ac salutem daret. Quem quidem, petitione, vt voluit, impetrata Anatolio significasse: hunc autem, nuncio ab Eusebio accepto, Senatui Alexandrinorum coegisse, ac primum poposcisse ab illis, vt cum Romanis amicitiam iungerent. Quo quidem sermone vbi illos grauer commotos videbat, dixisse: At huic, quod iam dicam, vos neutiquam refragaturos arbitror: illis, qui in hac dimicatione videntur minimè esse necessarii, minimeque vobis viles, (vt anus, infantes & senes) liberam è portis egredienti potestatem, quò velint, faciatis, cõsilium est. Quid enim istos iamiam propè morituros, apud nos ipsos cõtinemus? Quid modò mancos & corporibus mutilatos, penèque exhaustos fame opprimimus? Viros solos & iuuenes viribus valentes alere oportet, & frumentum quod necessarium est, his, qui ad ciuitatis propugnationem accommodati sunt, congerere.

Quibus rationibus cum Senatui in suam sententiam adduxisset, ipsum primum assurgentem suffragium tulisse, vt omnis multitudo, siue virorum, siue mulierum, quæ ad rem militarem parum esset idonea, à ciuitate liberè excederet: quoniam si manerent, ibique cum magno ciuitatis morarentur incommodo, nullam salutis spem illis, (quippè fame viderentur perituri) esse omnino relictam. Cui sententiæ cum à cæteris omnibus, qui aderant in Senatu, esset assensum, parum aberat, quod obsidione cingebantur, seruasset incolumes: atque inprimis vt qui erant Christiani, deinde vt alij cuiusque ætatis, qui ciuitatem incolebant, salui auferrent, diligenter prouidit: vnde non hi solum, quibus Senatui decreto potestas facta erat ex vrbe exundi, verumetiam sub eorum nomine alij ferè infiniti, vestitu muliebri clanculum induiti, noctu illius prouisione è portis egressi sunt, & ad Romanorum exercitum confugerunt: vbi illos omnes Eusebius benignè excipiens, more patris aut medici, longa obsidione debilitatos, omni prouidentia & curatione in integrum restituit.

Alexandrinis fame laborantibus, subuenit Eusebius.

Duobus eiusmodi pastoribus ecclesia Laodicensis (quorum alter alteri deinceps ordine proximè successit) diuina prouidentia potita est, qui post bellum, à nobis iam demonstratum, ab vrbe Alexandrina eò demigrarunt. Quanquam verò non multi libri ab Anatolio erant elaborati, totidem tamen ad nos peruenerunt, vnde cum eius eloquentiam, tum multiplicem cognitionem licet animaduertere: idque in illis potissimum, in quibus ea, quæ de Paschate ab alijs antè decreta fuissent, explicauit. Deinde, quibusdam interiectis, ita pergit Eusebius: Anatolius porrò Institutiones in Arithmeticam, decem libris explicatas, reliquit. Alia item extant eius opera, quæ exempli oej, præclare in sacris literis ab eo collocati, & multa in eisdem exercitationis perspicua argumenta dant. Hunc Theotecnus, Cæsareæ Palæstinarum Episcopus, per manus impositionem primus Episcopum ordinauit: qui cum successorem sibi post mortem ad ecclesiæ suæ procuracionem deligendum prouidit, vnaque cum illo ad aliquod temporis spatium ecclesiæ Cæsarensi præfuit. Verum Anatolius, cum Concilium Antiochiæ de Paulo Samosatenno conuocatum, cum accerseret, ad Laodicensem urbem aduentans, ibi Eusebio mortuo commemorari à fratribus coactus est. Anatolio exeunte è vita, postremus ante persecutionem illi ecclesiæ præficitur

Creatur Laodicensis antistes.

Stephanus. Hactenus Eusebius Cæsarensis. Habet verò etiam hunc Anatolium beatus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum.

VITA